

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

Observationes In Historiam Ecclesiasticam Abbatis Fleurii Ad SS. D. N.  
Benedictum XIII. Et Franciæ Episcopos Auctore P. Honorato A S. Maria  
Carmelita Discalceato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](#)

OBSERVATIONES  
IN  
HISTORIAM  
ECCLESIASTICAM  
ABBATIS FLEURII  
AD  
S. S. D. N. BENEDICTUM XIII.  
ET  
FRANCIAE EPISCOPOS  
AUCTORE  
P. HONORATO A S. MARIA CARMELITA  
DISCALCEATO.



## PRÆFATIO INTERPRETIS.

**T**andem tomus quinquagesimus primus Historiæ Abbatis Fleurii prælum optulante Deo reliquit, hacque ratione totum tam præfati Authoris, quam ipsius Continuatoris opus latine redditum omnino absolutum est; utinam sexennalis meus labor, quem in vertenda hujus Historiæ Continuatione impendi, erudit prudentesque Lectores boni, æquique consulerent; non equidem multum sollicitus eram, ut delicato hujus nostri, quod vivimus, sæculi genio, diversisque hominum ingeniis, ac studiis placarem, aut modacem illorum reprehensionem nimis anxie declinarem; quippe adeo non adulandi, vel complacendi studio abreptus calamus arripui, ut potius veritatem historicam non raro vel ex Continuatoris incuria, vel animi præventione læsam vindicare, facramque Sedem, illiusque supremos Rectores sæpius inquis calumniis, ac mendaciis ex infernali hæreticorum, malevolorumque hominum officina depromptis obrutus defendere intentus essem: saltem id erat laboris mei scopus, finisque, quem an alle-

cutus

cutus fuerim, Lectorum a partium studio alienorum judicio relinquere volo: id tamen omnino certum est, plura in Continuator reperiri, quæ sane censoria virga perstringi merentur; hic enim Author virtuperanda æmulatione Fleurum, cuius Historiam continuare voluit, imitari, & assequi studiosus, pariter obvia quævis, dummodo summis Pontificibus, aliisque Præsulibus, & Monachis invidiam accersere possent, sine veritatis criterio, absque selectu, ac debita moderatione corradebat, suæque Historiæ introducere non erubescet; quapropter haud paucos, eosque eruditos censores in suum sibi caput accersebat, quos inter Plurimum Reverendus, atque eximius Dominus Stevart Theologiæ Licentiatus, Canonicus, atque Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis Decanus, necnon librorum Censor de hac continuatione sequens fert judicium: *Continuator in suis libris plures alias propositiones falsas, malignas, & reprehensione dignas exponit, adeo, ut si omnes referre oporteret, integro volumine necesse foret.* Præcipue idem Censor præter alia Continuatori objicit, quod maximam illorum gestorum, quæ allegat, „partem tam ex Authoribus schismaticis, & hæreticis, quam ex aliis haußerit, quorum libri a sacra Sede severe sunt prohibiti, quales sunt Syrus, „Orthuinus Gratius, Clemangius, Goldast,

Cave,

„Cave, Vanderhart, l'Enfant, Limbourg,  
 „Niem, Panormitanus, Platina, Dupin,  
 „Leti &c., Eundem quoque fugillat,  
 eoquod celebres illos quatuor Cleri Gallicani  
 articulos anno 1682. fabricatos, atque a  
 Ludovico XIV. revocatos amplis elogiis  
 celebret, *quamvis hi in perpetuam ignomi-*  
*niam, dedecus, atque Ecclesiæ Gallicanæ con-*  
*fusionem cedant:* denique præter plura alia,  
 quæ idem Censor in præfato Historiæ Fleu-  
 rianæ Continuatore carpit, merito obser-  
 vat, quod de pluribus summis Pontificibus,  
 alias tam virtutum merito, quam Sancti-  
 tatis laude celeberrimis indignum in mo-  
 dum differat, ac præ ceteris Innocentium  
 VIII. a Scriptorum potissimum dilaudatum  
 atrocibus calumniis obruat, adeo, ut credi  
 valeat, quod *Continuator Philippi Mornay,*  
*& Jurieu, qui ceteris magis furiosi Pontificum*  
*hostes, necnon impudentissimi suo ævo calum-*  
*natores erant, libros transcribere voluerit.*

Porro cum in hisce viginti septem con-  
 tinuatæ Historiæ latine redditæ tomis ea,  
 quæ ex immoderato carpendi, ac potius  
 calumniandi impetu ab illius Auctore pro-  
 lata paſſim reperiuntur, crebris adnotatio-  
 nibus jam castigata sunt, hinc Lectoribus  
 etiam minus peritis, atque expertis mi-  
 nus pernicioſa, & periculosa erit hujus  
 continuatoris lectio, longe autem diversa  
 est ratio circa Historiam ab ipsomet Fleurio  
 Abbe conscriptam, quæ ſane pro Lecto-  
 rum

rum genio, ac Religionis diversitate variū subibat fatum; illi enim, quibus aut veræ Religionis honor, & incrementa in ultimis curis reposita sunt, aut Principiis adulandi, necnon corrupto præsentis sæculi genio ancillandi studio fese abripi patiuntur, hanc Historiam velut venerandæ antiquitatis monumentum, Historicæ libertatis, sinceritatisque prodigium, omnibusque numeris absolutum opus deprædicant: ex adverso autem ii, qui veritatis studiosi, debitæ erga Superiores observantiae amantes, ac conservandæ, propagandæque fidei intenti sunt, in hunc Historicum insurgunt, comprobantes, quod studiose eloquentiæ, necnon purioris styli nitore unice eo fine abuti voluerit, ut eo securius Ecclesiam a Christo Domino stabiliter aggredi, hocque artificio hodiernorum Sectariorum errores fovere valeret. Non defunt, qui hoc opus anacronismis, contradictionibus, pluribusque aliis mendis circa gestorum, quæ refert, veritatem scatere ostenderunt; alii vero vitio vertunt, quod Religione Catholicus quidem videri voluerit, re tamen ipsa ubique suum erga Pontifices, quos nomine *Curiae Romanae* indigitat, odium exerere studuerit, ut vero propriam suam convitiandi pruriginem alieno fucco occultare, ac veritatis specie honestare valeret, studiose Matthæi Paris, necnon Villani, aliorumque Scriptorum, qui

qui jurati erant Sedis Apostolicæ hostes, testimonia suæ historiæ inserere, ipsusque Pontificum gesta perniciosis æque, ac malignis animadversionibus veluti occulto veneno inficere voluerit, necnon plura veritatis testimonia, quibus sacræ Sedis auctoritas firmiter stabilita existit, aut fide minus integra Gallice reddiderit, aut omnino prætermiserit. Ast hoc nec meum, nec duntaxat paucorum est de hac Historia judicium; quippe non modo Romani, aut Germani, sed ipsimet etiam Galli hanc Fleurii Historiam oppido perniciosa esse censebant, uti testatur Peutavus Diarii Scriptor (a) qui inquit: *Num sincere credit Anonymus, quod Fleurii Historia semper a Professoribus sit laudanda, ne dicam in Italia, aut Hispaniæ, sed ne quidem in Franciæ Universitatibus: aut forte existimat, quod in aliquo Pontificii Domini loco pari veneratione, ac Baronii Annales, sit excipienda, aut tot celebres hujus Purpurati imitatores habitura sit? Præterea num absque simulatione existimat, quod præter Patrem Carmelitam Discalceatum, (\*) Et Patrem Augustinianum inter Catholicos Romanos nullis aliis haec Historia displicerit?* Certus sum, quod, quantum mihi constat, nemus quidem ex Catholicis fuerit, quem non æque, ac ambos hosce Religiosos, haec Historia offens.

(a) Tom. 2. Biblioth. raisonné part. II p. 456. 466.

(\*) Is erat P. Honoratus, cuius lucubratio nem impræsentiarum subjungimus.

offendisset . . . id vero, quod nunc affirmo,  
adeo verum est, ut etiam Parisis Fleurii Hi-  
storia pios homines tanto dolore affecerit, ut  
typographus potiorem hujus libri partem non-  
nisi in separatis foliis divulgandi licentiam tan-  
dem obtinuerit: Ecce! hoc de Fleurii Histo-  
ria, ejusque Authore, ac Sacerdote Catho-  
lico judicium fert Scriptor ex Protestan-  
tium secta: quid ergo mirum, si hu-  
jus conditionis Historicus plures sibi ac-  
cessiverit adversarios, qui æquo Religio-  
nis, veritatisque studio accensi suos cala-  
mos acuerunt, eique graves suas hallucin-  
ationes objecerunt, ac ipse Pater le Cou-  
rager olim Canonicus Regularis, & in Ab-  
batia Parisina S. Genovesæ Bibliothecarius,  
Author certe de Romanæ Curiæ favore  
minime suspectus, in sua Pontificum Histo-  
ria (b) testatur, quod Fleurii Historiam  
emendare cogitarit, cum certus esset, quod  
in ea graves hallucinationes, & nonnulli  
errores reperiantur: anno etiam Domini  
millesimo septingentesimo trigesimo quarto  
P. Balduinus de Housta Augustinianus na-  
tione Belga Fleurianam Historiam aggres-  
sus librum Gallice edidit, cui titulus:  
*Sublestæ fides Abbatis Fleurii comprobata plu-*  
*ribus SS. Patrum, Conciliorum, aliorumque*  
*Scriptorum Ecclesiasticorum textibus, quos vel*  
*omisit, detruncavit, aut mala fide traduxit;*

Hic

(b) In epist. ad Edit. pag. 12. Tom. I.  
Hist. Eccles. Tom. LI. Q q

Hic idem liber tres veluti continet partes, in quarum prima in omnes Fleurianæ Historiæ libros suas addit adnotationes, in secunda autem octo illius dissertationes discutit, in tertia denique ostendit, quod Fleurii principia, ac doctrinæ plurimum convenient cum hæreticis recentioribus, eorumque principiis. Præterea aliis quidam Author Anonymus Avenione anno Salutis nostræ 1736. Fleurii Historiam sat moderate castigabat, hancque in rem pariter in idiomate gallico sat copiosas edidit adnotationes, quibus hunc præfixit titulum: *Observationes Theologicæ, historicæ, criticae &c. in Historiam Ecclesiasticam Abbatis Fleurii unacum Dissertationibus, & Patrum Analysis.* Non desunt plures alii, qui post Romanam censuram pariter editis lucubrationibus hanc Historiam acrius perstrinxerunt: unde optandum fuisse, ut nova editio latina ejusmodi adnotationibus castigata prodiisset; porro hujus studii utilitatem, ac necessitatem probe perspectam habebat R. P. Antonius Thuillier Ord. S. Benedicti ex Abbatia sancti Dionysii, qui ecclesiasticam Fleurii Abbatis Historiam latine reddere cæperat, jamque quatuor tomos prælo paratos tenens adnotationes criticas, in quibus hujus Authoris errores confutabat, subjunxit, uti testatur R. P. Philippus le Cerf de la Vieille Benedictinus Congregationis S. Mauri in sua Bibliotheca Histo-

Historica, & Critica Authorum ejusdem Congregationis; (c) quo autem fato tam utilis labor fuerit interceptus, plane ignoro.

Ceterum, ut illi, qui latinam hujus Historiae versionem suis librorum scriniis inseruerunt, saltem uno veluti obtutu, quicquid in ea reprehensione dignum occurrit, pervolare valeant, ex variis criticis ejusmodi Scriptoribus unicum selegi, illiusque lucubrationem huic postremo tomo adjicere, haud inconsultum fore censui, quia hic idem Author nec sui operis mole Lectori fastidium creabit, nec ob immoderatum Zelum bilem movebit, aliunde vero ob nominis sui famam, & prioris critics laudem valde conspicuus est. Hic haud alias est, quam R. P. Honoratus a S. Maria Carmelita Excalceatus, Provinciae Aquitaniae Definitor, qui, quamvis natione Gallus, libero tamen calamo non modo in suis animadversionibus in regulas, & usum critics saepius Fleurii hallucinationes perstrinxerat, sed insuper hanc ipsam ejusdem Historiam aggressus, occultato nomine libellum prælo subjicit, cui tamen nomen suum utpote Calvinistis æque, ac Jansenistis valde exosum non

Qq 2 appo-

(c) pag. 476. edit. 1726.

apposuit, quamvis omnibus Catholicis probe cognitum esset, quinimo ipse etiam Apostata Fleurii Apologista (d) P. Honoratum hujus partus parentem extitisse sat eretur, hic tamen illum falso natione Bel gam fuisse refert, forte aut loci, ubi hic Carmelita obiit, aut urbis, in qua ejus libellus typis fuit editus, nomine deceptus.

Ceterum hujus libelli, quem P. Honoratus adversus Fleurii Historiam edidit, analysin exhibit P. Cosmas a S. Stephano Carmelita, Provinciæ Turonensis Definitor in sua Bibliotheca Camelitana Authorum ejusdem Ordinis ad litteram H. p.664. Tom. I. his verbis: inter cetera Patris Honorati opera numeratur denuntiatio Historiæ ecclesiastice viri clarissimi Domini Abbatis Fleurii ad nostros illustrissimos Dominos Episcopos gallice 1726. absque nomine authoris, & loci, & typographi: denuntiatio in primis reprehendit dicta Domini abbatis Claudi Fleurii 1mo. De Ecclesia Romana. 2do. De auctoritate, & dignitate Papæ. 3to. De depositionibus Episcoporum. 4to. De erectionibus, divisionibus, & translationibus Episcoporum. 5to. De appellationibus ad summos Pontifices. 6to. De submissione Canonibus debita. 7. De excom.

---

(d) Justificat, des Discours du Mr. Fleuril pag. I.

excommunicatione. 8. De absolutione post confessionem, de jubilæo, & de sacris bellis cruciatarum. 9. De miraculis, & reliquiis. 10. De jurisdictione Episcoporum. Secunda editio data est Mechliniæ anno 1727. apud Laurentium Vander l'Est, quam citat anonymous Capucinus apud Batavos refuga, in opere gallice inscripto: *Justification des discours, & de l'Histoire Ecclesiastique de M. L. Abbe Fleuri* 1736. in 12. absque nomine authoris, & loci. Ast hæc justificatio plurimis erroribus, & erroneis principiis scatet, sicuti lectori Catholicò patebit.

Hæc ipsa denuntiatio fuit approbata a præfato D. Stevart: ast illam utpote nimis acerbam hujus Canonici Superioribus displicuisse testatur idem Diarii scriptor (e) nec dissimulandum venit, quod hæc approbatio postea fuerit immutata, atque omissis quibusdam correcta, quin tamen propterea quicquam ipsius libri auctoritati decederet: ceterum P. Honorati lucubratio sequentem præsefert titulum: *Observationes in Historiam Ecclesiasticam D. Abbatis Fleurii &c. ad sanctissimum D. N. Benedictum XIII. & nostros Illustrissimos Episcopos, Mechliniæ apud Laurentium Vander l'Est anno 1729.*

Cete-

(e) Biblioth. raison. Tom. II. p. II. p. 460.

Ceterum enormiter hallucinabatur Venetus Diarii literarii scriptor (f) dum refert, quod *Observationes Theologicae, criticæ & typis impressæ apud Marcum Chau conscriptæ fuerint a quodam Belga Carmelita nomine Patre Honorato*. Hic enim liber anno 1736. editus longe alium Authorem, & titulum agnoscit; quem tamen librum utpote nimis prolixum hic sub-jungere noluimus præferentes P. Hono-rati *observationes*, cum hæ magis suc-cinctæ, veluti in compendio crassiores Fleurii errores redarguant.

(f) Novelle lettr. di Venezia Nro. XXV. 14 Giugno 1746. pag. 193. 194.



OBSER.



# OBSERVATIONES IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM D. ABBATIS FLEURII

Pervolvens ecclesiasticam illustris Abbatis Fleurii historiam sæpius admiratione defixus hæseram, quo pæcto fieri queat, quod tot doctrina, ac Religionis studio insignes Catholicæ, qui per plus quam duodecim annos suos exercuerunt calamos, suasque vigilias eo fine sacrarunt, ut cunctos fideles ad reverentiam, atque integrum submissionem, quam sacræ Sedi, necnon Constitutioni, quæ incipit: *Unigenitus*, deferre tenentur, præstandam inducerent, nihilominus satis, superque se fecisse arbitrati sint, quod in secreto cordis sui omnes hasce injuriosas deplorarint satyras, quæ contra Sedem Apostolicam haud minori livore, quam malignitate in omnibus ferme tam vasti operis paginis paßim sparsæ offenduntur. Hæc eadem mea admiratio eo magis exinde augebatur, quod a primæva Ecclesiæ Catholicæ institutione (ni fallor) vix unquam Author re ipsa Catholicus, minus vero quidam Sa-

Qq 4

cerdo-

cerdotali dignitate conspicuus, ac de hæresi minime suspectus, qualis erat Abbas Fleurius, integrum de Ecclesia Historiam duntaxat eo fine (uti videtur) conscribere aggressus fuerit, ut a primo Ecclesiæ exordio omnia percurrentes sæcula, potissimum, quas ex hæreticis efferatissimi quique vel unquam contra Ecclesiam Romanam, sacramque Sedem, & adversus omnes ferme summos Pontifices, qui per plura sæcula Divi Petri Cathedram moderabantur, evomuerunt, blasphemias refricandi opportunitatem nancisceretur.

Attamen meam admirationem, quæ celebres hosce Viros ad illum librum, in quem quasdam animadversiones elucubrare aggredior, obmutuisse obstupescet, non nihil moderabatur sola illa cogitatio, quam mihi persuasum habebam, quod præclara illa dignitas, atque insigne illud munus, quo præfatus hic Author erat quidem honoratus, ipse tamen illud per suam Historiam ecclesiasticam tantopere dehonestabat, quamdam reverentæ speciem ingessit, qua zelus præpediebatur illorum, qui potuissent, imo etiam pro officii sui ratione obstricti fuissent, ut hisce perniciose principiis in toto hoc opere sparsim contentis remedium ponerent, cum hæc ipsa principia ad eradicandam illam venerationem, ac submissionem, quæ genuinis Ecclesiæ Filiis propria est, unice conducere, nec non

non ad perversam morum libertatem latius propagandam, & obsequii jugum excutiendum viam sternere videntur.

Ita nempe existimata illa reverentia, quam transitorium munus huic Authori commissum inspirabat, Zelo Ecclesiæ, ac sacratoribus quibusque rebus debito prævaluuit: hinc saepius mecum ita sermocinabar: cum juvenis ille Princeps jamjam pietate sua veluti splendidissimo radio in Franciæ Aula fulget, atque ipsius sancti Ludovici Successor existit, necnon filius talis Patris, qui Ecclesiam violentis tumultibus agitatam ipfus tam solide, tamque fortiter calamo suo defenderat, ut nullus Theologus omnibus etiam numeris absolitus suo munere felicius fungi potuisset, quis jam credat, quod tanti meriti Princeps temeritatis arguere velit illum scriptorem Catholicum, qui insurgere audebat in ejusmodi librum, in quo illius Author cuncta transiens saecula, unice eo intentus erat, ut Matrem, omniumque Ecclesiarum Magistrum Ecclesiam Romanam traduceret veluti monstrum, cunctosque, qui eandem per plurima saecula rexerunt, veluti totidem exhiberet homines, qui omnium, quæ nominis humani indignissima forent, passionum mancipia extitissent.

Quinimo ad opinionem meam magis firmandam saepius dicebam mecum: forte

Qq 5 reli-

religious Princeps tam perniciosi libri Authorem haud amplius sua honoraret fiducia, illumque a sacra sua Persona amoveret, si de rei indignitate ab illis admoneretur Viris, quos Deus selegit, ut illum semper magis firmarent in venerando erga sacram Sedem obsequio, quod Regibus Christianissimis, qui se primogenitos Ecclesiæ Filios jure merito gloriantur, hereditaria veluti successione proprium est.

Nunc vero an instituti mei ratio imprudentiæ redargui queat, benevolo Lectori meo judicandum relinquo, necnon cunctis per me licitum est suas sententias pronuntiare circa propositiones, quas omnes integra fide ex viginti voluminibus ab Authore conscriptis depromptas eidem exhibitus sum. Porro initium sum ab illis, quæ sacram Sedem, summosque Pontifices respiciunt.

### §. I.

#### *De Ecclesia Romana.*

Nequaquam eximus Fleurius Historiæ ecclesiastice Author sortem passus est æqualem cum pluribus aliis Catholicis Scriptoribus, quibus nonnunquam in primo laboris sui æstu, vel nimia diversi, quod retractant, argumenti copia obrutis quedam minus moderatae, magisque temerariæ excidunt propositiones, quas ipsi met, nequidem ab aliis moniti, sponte sua

sua mox condemnant, quamprimum suas lucubrations animo magis pacato recognoscunt, suamque imaginandi vehementiam, quæ antea ipsorum calamos ad liberius excurrendum incitabat, remisisse sentiunt: ex adverso Abbas Fleurius in valta hac voluminum a se editorum farragine unice quibusdam innititur principiis a semetipso procusis, inquo quidem ipsius fato, iniqiore tamen Lectorum plus æquo credulorum, aut nimis luxuriantium damno; quippe ipsius principia partim sunt falsa, partim erronea, ex quibus præcipue duo occurunt, veluti basis, ac fundamentum totius præalti hujus ædificii, cui tamen ultimam manum admovere haud potuit, quin prius ad supremum Judicem Deum evocaretur, rationem redditurus de arcanis suis caussis, quibus impulsus cum tanta animi acerbitate, ac livore omnes illas res, quæ tamen in vera Religione ceteris magis venerandæ, sublimes, magisque augustæ sunt, pertractare non abhorruit.

Inter illa principia quæ toties præfatus Author recoxit, est primo Ecclesiæ disciplina, cuius nequidem obscura adhuc vestigia nostro ævo reperiri existimat: porro alterum ejusmodi principium sunt spuriæ Decretales in sæculo nono quibusdam adscriptæ sanctis, veteribusque Pontificibus, qui usque ad Syricii Papæ ætatem floruerent: hæc duo principia, si Authori nostro

nostro fides esset adhibenda, sunt unicus fons, & origo, unde omnis dimanavit morum corruptio, quam Ecclesia deplorabat funesto illo abhinc tempore, quo recens usus hodiernæ disciplinæ, expulsa veteri, clarissimos Ecclesiæ splendores obnubilabat, eamque ad fatalem illum, ac deplorandum statum, in quo illam non sine maximo animi dolore cernimus, deprimebat.

Verum hujus principii error de immutata Ecclesiæ disciplina, quam Abbas Fleurius tantopere exaggerat, exinde ortum trahit, quod nonnulli, prout & hic idem Author, propugnant, disciplinam æque, ac dogma in Ecclesia nulli mutationi obnoxiam esse: unde in dissertatione quarta, quæ in tomo decimo octavo habetur, erroneum hoc principium tradit, afferens: *Semper, & ubique docuit Ecclesia, traditionem primorum sæculorum tam quoad disciplinam, quam quoad fidei doctrinam esse tenendam.*

Profecto hic Author de Republica literaria, suisque Lectoribus, sese bene meritum reddidisset, si in margine illos allegasset Scriptores, qui docuerunt, quod Ecclesia tam in disciplina, quam in doctrina quidquam immutandi facultate destituta sit: Forte Tertullianus hujus erat opinio, attamen propter hunc ipsum errorum circa hoc caput in hæresin prolapsum est: qua enim ratione ejusmodi doctrina propu-

propugnari potuisset, dum postea in Ecclesia usitatum fuerat, quod a suis noxis solverentur peccatores, quibus tamen priscis temporibus absolutio fuerat denegata, insuper dum Ecclesiæ reconciliari cernebantur illi, qui olim absque misericordia ab illa ejiciebantur? quot insuper variationes, quot immutationes in omni sæculo comprehenduntur, si duntaxat consideremus ea, quæ disciplinam circa poenitentias agendi, & Baptismum administrandi rationes concernunt? si ergo quisquam hoc principio uteretur, atque veterem disciplinam æquo jure cum fidei doctrina ponderaret, nonne aperte Ecclesiam enormis damnaret erroris, illamque de ignorantia, aut relaxatione redargueret, ex eo, quod justis de causis novam disciplinæ veteri circa plura capita subrogavit: num forte hodierna Ecclesia ab illa primorum sæculorum diversa est? num illius auctoritas minus absoluta, ejusque decisiones minus prudentes sunt. Quid demum? ergone Ecclesia cessat esse Ecclesia Christi, si vel habita status sui ratione, vel spectata diversa temporum, rerumque vicissitudine, filiorumque suorum imbecillitate vetera statuta abrogat, & nova substituit? nunquid non omne ævum nobis hujus immutationis luculenta suppeditat argumenta? nonne ipsem et Author, quem in præsentiarum aggredior. disciplinæ immutationes in quovis sæculo factas

factas commemorat? si autem Ecclesia hoc jure praedita est, illiusque possessionem sarcam habet, qua fronte factorum ignorantiae adscribere præsumit novam illam disciplinam, quæ disciplinæ in aliis sæculis usitatæ adversa est: haud immerito adducivalent verba, quæ hanc in rem loc. cit. profert Fleurius: *disciplina in decimo jam sæculo multum antiqui vigoris amiserat, sed plerumque errata ex ignorantia nascebantur, & versabantur circa facta, quæ deinde simul, & cognita erant, damnabantur . . . Sæculo dum duodecimo . . . malum ab errore facti proficisciebatur, quia statuta recenter inventa credebant esse antiqua.*

Hæc frequenter tradit in loco a' me allegato, si tamen error quasi perpetuus, & per quatuor, aut quinque sæcula in Ecclesia propagatus deprehenderetur, sane exinde Mater, omniumque Ecclesiarum Magistra magnam contraheret labem, quinimo haud immerito timerem, ne hujus principii adminiculo ipsa etiam traditio everteretur, quis enim jure non timeret, ne hæc eadem Ecclesia quendam recentiorem Authorem tanquam traditionis testem substituat, falsoque supponat, ac si sibi opera cujusdam veteris Ecclesiæ Patris ante oculos ponantur. Unius erroris transitus ad alterum satis expedite fieri posset.

Quid juvat, quod Author auream Ecclesiæ ætatem præteriisse tot suspiriis deploret:

ploret: cur nulla ferme interrupta mora  
ingemiscit, Ecclesiam in horrendam de-  
fectionem ob immutatam veterem discipli-  
nam esse prolapsam? cur nonnisi exagge-  
rat lethales illas plagas, quas Ecclesiæ per  
hodiernam disciplinam inflictas esse dolet?  
enarret demum antiquos illos Canones,  
qui regulæ ad instar haberí debuissent:  
nonne ipsamet hæc Ecclesia, quæ hodie-  
dum existat, illis eam auctoritatem, qua  
pollebant, tribuit? si ergo hæc Ecclesia  
hos Canones stabilivit, num forte illis da-  
tam auctoritatem adimendi, & contrarios  
stabiendi facultate privata est? nonne  
Ecclesiæ auctoritas semper eadem, ac omni  
tempore æque veneranda est? cum vero  
cuncta hæc suspiria antiquam disciplinam  
exoptantia, necnon hasce querelas contra  
novam inaudio, haud temere vereor, ne  
idem in Ecclesia, quod in politico regi-  
mine, eveniat, ubi non raro turbarum a-  
vidi, ac inquietæ mentis homines nil nisi  
pristini regiminis elogia plenis buccis cre-  
pant, interea tamen in corde suo nil nisi  
seditiones, ac rebelliones contra suos Prin-  
cipes, qui tunc sceptræ rotant, excoquunt:  
verum quid opus est hanc in rem conje-  
cturis uti, dum Author, quem nunc im-  
pugno, satis aperte ipsus mentem suam  
aperit.

Proh! quam atris coloribus summos  
Pontifices nobis depingit, dum loco cit.  
ita

ita effatur: Postquam Ecclesia Romana annos centum quinquaginta sub regimine nonnullorum Pontificum sacram Sedem, qua indigni erant, profanantium, ingenuit, Deus Optimus Maximus hujus Ecclesiae, in Orbe terrarum primae, misertus, Leonem IX. dedit ob spectatissimam virtutem sanctorum numero insertum. Hunc deinde reliquo saeculi undecimi tempore, & posterioribus saeculis omnibus complures alii Pontifices, pietate, & Zelo restituendae ecclesiasticae disciplinae ardentes, scuti sunt, quos inter Gregorius VII. Urbanus II. Paschalis II. Eugenius III. Alexander III. eminuerunt. Verum optima licet voluntas, si scientia desit uatur, in graves errores impellit, & quo velocius per tenebras properamus, eo saepius, & majori periculo cadimus. Hi Pontifices, viri maximi, cum auctoritatem falsarum Decretalium usque adeo sibilitam viderent, ut nemini in mentem veniret, eas impugnare, crediderunt, teneri se conscientiae suae imperanti obtemperare, & Constitutiones, quas in iis legebant, opere completi, persuasum sibi habentes, hanc esse illam disciplinam purissimam, quae tempore Apostolorum, & in aurea Christianae Religionis aetate floruisse: non autem perspiciebant, in illis Epistolis complura affirmari, quae verae antiquitati haud sane consentanea sunt.

Ergone tandem Ecclesia, postquam per centum quinquaginta annos sub tot indignorum Pontificum sacram Sedem profanatum

nantium regimine ingemuerat, non sine suo solatio per aliquot annos conspicere potuit quosdam Papas reipsa pietati deditos, & restaurandæ disciplinæ studiosos, ignorantibus tamen, nam in enormes errores propter ignorantiam prolapsi sunt: abs dubio errores, quos noster Author sanctis Pontificibus Gregorio VII. Urbano II. Paschali II. & Alexandro III. objicit, haud alii suere, quam quod Fridericum Cæfarem, & Philippum I. Franciæ Regem anathemate perculerint, atque Urbanus II. in eundem Regem in Concilio Claromontano, cui ipsus intererat, excommunicationis sententiam pronuntiaverit; ast forte etiam ideo reprehendit illos, quia plura Concilia, in quibus tot Episcopi fuerant gradu suo dejecti, hi Pontifices vel per seipso, vel per Legatos suos celebrarunt: interea tamen, an Author noster anathemata Regibus irrogata Pontificibus criminis dare voluerit, adhuc dubius hærebam, perpendens illius verba, quæ de Henrici IV. Imperatoris excommunicatione differens pronuntiabat: *omni jure Henricus pro excommunicato habebatur . . . simulque sanciebatur, quod cum excommunicatis commercium haberi non liceret.* Ceterum hosce Papas virtutibus quidem conspicuos, ignaros tamen sequebantur Pontifices ambitionis, avari, simoniaci, turpissimis cupiditatibus dediti, qui ad sordidissimum, & maxime sacrilegum quæstum sanctissimis

*Hist. Eccles. Tom. LI.*

Rr qui-

quibusque, ac summe venerandis Religio-  
nis nostræ rebus abutebantur. Forte ex-  
stimasbitis, quod hæc vox sit vox Junii  
hæretici, aut cuiusdam alterius Ministri  
Hollandi, vel Angli, quorum furiosos im-  
petus contra sacram Sedem, eique addi-  
ctos ipsamet hæresis condemnat? Verum  
erratis, loquitur quidam Presbyter Reli-  
gione Catholicus, ex cuius libris ingens  
gloria in Franciam redundat, si tamen fi-  
des habenda esset cuidam Doctori, qui in  
approbatione hujus Historiæ ad tomum de-  
cimum tertium, decimum sextum, & de-  
cimum nonum ita effatur: *nihil* in toto hoc  
opere reperi, quod non omnino fidei Catholica,  
bonisque moribus consonum foret, atque con-  
tinuatam *Auctoris* integritatem, exactamque scri-  
bendi methodum non minus in hoc, quam priori  
volumine, admiratus sum.

Ita pronuntiat Pastellus in sua approba-  
tione, quæ ab eo lata tomo decimo sexto  
anno Christi millesimo septingentesimo duo-  
decimo typis impresso præfixa habetur, sub  
cujus Censoris præsidio totum hoc opus  
historicum prodibat: enimvero reverentia  
erga hunc Doctorem Sorbonicum, qui Hi-  
storiæ ecclesiasticæ Authorem, ejusque  
exactam scribendi methodum, animi can-  
dorem, vastæque eruditionis ubertatem  
tantopere admiratur, me cohibere videtur,  
quin eidem exprobrem, quod illius admi-  
ratio ferme ignorantiam sapiat; lubenter  
enim

enim ex eodem sciscitarer, quænam tandem ibidem reperiantur, quæ tanta admiratione digna sint: an eum in admirationem rapuit, eoquod Abbas Fleurius de Bonifacio IX. in tomo vigesimo lib. 98. §. 48. differens scribere non dubitarit: *Cardinales Urbani VI. tum Romæ in Papam cooptarunt Petrum Tomacellum, qui nec scribere sciebat, nec canere in stylo . . . . Hic Papa tam fuit prodigus in concedendis noxarum expiationibus, ut has nemini denegaret, sed constabant pretio: quo circa in contemptum veniebant. . . . Per primos septem annos Bonifacius sacra nundinari publice non audebat ob respectum complurium Cardinalium proborum talem mercatum detestantium, quos tam sacra ornatos purpura invenerat; clandestinam vero ejusmodi nundinationem certorum hominum opera faciebat, præsertim in designatione Praesulum & quando ii, a quibus petebat pecuniam, non solvebant præsentem, ex cogitatis obtentibus variis in senatu secreto utebatur, ut illorum promotionem retardaret, aut prorsus impediret, cum Cardinales veteres talis mercaturæ ofores alii ex aliis obiissent, Bonifacius de accepta libertate indulgendi animo suo magnopere gaudebat, l. c. lib. 99. §. 27.*

Attamen silentio haud prætereundum, quod hic Papa Bonifacius IX. nonnisi anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo nono Divi Petri Cathedram concenderit, proin nequaquam anumerandus sit illis

Rr 2 Ponti-

Pontificibus, qui decimo, & undecimo saeculo tam indigne sacram Sedem profanarunt, ubi etiam per duo haec saecula ignorantia, sicuti morum perversitas in saeculo decimo quarto Pontificibus propria erat, prout Author noster in suo decimo nono tomo convitiatur: insuper lubenter denuo ex tam illustrato, ac sincero Doctore, qui ecclesiasticam Abbatis Fleurii Historiam approbabat, sciscitari vellem, quid denique in ea tantopere admiretur: forte in suo Authore tom. 19. lib. 92. §. 11. sequentia admiratur verba? Clemens V. Papa *pecunias captabat adeo, ut cuncta beneficia in ejus curia venderentur: palam dicebatur amissam habere Petrocoricensem Comitem famnam pulcherrimam Comitis Fuxensis filiam: Nepotibus, ceterisque propinquis suis opes reliquit immensas.*

Num forte Pastelli admirationem promeretur id, quod Abbas Fleurius de Joanne XXII. Clementis V. Successore differens eodem tomo lib. 94. §. 39. ita effatur: post Joannis XXII. obitum, qui anno restaurate Salutis millesimo trecentesimo trigesimo quarto die tertia Decembris contigerat, Avenione intra aerarium Ecclesiae inventa sunt in auro signato, si pretium spectetur, decies octies mille millia florenorum, & supra; in vasis vero, in crucibus, coronis, insulis, aliisque ornatibus aureis, ac gemmeis septies mille millia, omnino vicies quinque mille millia floreno.

florenorum aureorum. Hæc refert Joannes Villanus, & adjungit: possum rei hujus testimonium certum dicere; quia frater meus, homo dignus fidei, tunc Auenione Papæ mercator eam comperit ex ærarii custodibus, aliisque, qui iussi erant computare, ponderareque Gazam, & exactam hujus notitiam dare collegio Cardinalium, ut bonorum commentario insereretur. Maximam thesauri partem con- gesserat industria Papæ Joannis: qui merca- tus sacrilegos tollendi gratia, ut ajebat, Chri- stiani orbis templorum Canonis insignium be- neficia cuncta sibi ab anno millesimo trecen- tesimo decimo nono reservaverat, unde im- mensas accepit opes: præterea reservatione sic utebatur, ut fere nunquam confirmaret ali- cus Præfulis electionem, sed ad Archiepisco- patum promoveret Episcopum, & huic Epi- scopum minorem sufficeret, hinc saepe contigit, ut ex vacatione unius Archiescopatus, vel Patriarchatus profluerent sex, aut plures pro- motiones, quæ magna incrementa ærario Apo- stolico afferebant: at vir bonus haud meminit Evangelii, in quo Christus ad discipulos in- quiebat: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra! thesaurizate autem vobis thesauros in cælo.

Proh! ad quantam temeritatem pro- labitur Author, quamprimum maledicendi furore sese abripi patitur? certe nec a præ- claris, quæ cujusdam Papæ memoriis redduntur, testimoniis, nec a coevorum

Rr 3 scripto-

scriptorum auctoritate, imo nequidem illorum, qui ceteroquin eorum famam liberius lacescebant, sese cohiberi sinit, sibi que jam satis, superque esse arbitratur, dummodo quidam ob effusam Pontifices calumniandi licentiam notus, atque infamis scriptor, qualis est Matthæus Villanus, asserat, quod Clemens VI. Princeps effeminatus, voluptati deditus, atque abjecti pudoris, & honestatis vir fuerit: jam nil refert, cum Villanus id dicat, hinc sufficit, ut ei fides adhibeatur, audacter vero falsitatis arguatur vetus Vaticanæ Bibliothecæ Codex conscriptus, in quo longe præclarissimum hujus Pontificis elogium legitur. (a) rejicienda quoque est Rothomagensium Archiepiscoporum historia, in qua habetur, quod hic Papa inter præcipua hujus, necnon Senonensis Ecclesiæ, quarum utriusque ante Pontificatum suum successiva serie præerat, ornamenta numerandus venerit: ipsem Petrarcha, & quis crederet? ipse Petrarcha, qui ab ipsomet Flavio atrocissimus Curiæ Romanæ hostis dicebatur, atque Avenionensem urbem proclamabat alteram Babylon, Ecclesiam vero, quæ ibidem erat, vocabat prostitutam illam Apocalypticam mulierem, hic tamen Petrarcha Clementem VI. Papam elogis celebrat, ac sicuti Ecclesia Senonensis, &

Rotho-

(a) Vide Odoricum Raynaldum ad annum 1342.

Rothomagensis, imo etiam Romana, ita & ipse honorifice de hoc Pontifice loquitur: ast nihil refert, unicum Villani ob suam maledicentiam, & calumnias in Pontifices effusas tantopere diffamati testimonium honorificam sedem promeretur in ecclesiastica Historia Abbatis Fleurii, illius nimirum Authoris, cuius *sinceritatem, atque exactam scribendi methodum* Pastellus admiratur.

Profecto sat molestum mihi accidit, quod non interrupta veluti serie huc adducere cogar nonnullas ex atrocissimis, indignissimisque calumniis, quæ non minori bile, quam livore contra Pontificum, qui per quingentos annos Ecclesiam rexerant, memorias sparsæ inveniuntur: verum, ut tam perniciosi libri applausum cohibeant, vix aliud superest remedium, nisi ut eas calumnias, quæ in viginti illis voluminibus sparsim habentur, in unum colligerem, ac præprimis quidem, quam sinistram opinionem Lectori honesto, ac duntaxat veritatis studioso ingerunt ea crimina adeo atrocia, quæ Author noster summis Pontificibus objecit? quam demum indignationem in hunc Authorem concipiet, dum ab eo prolatum audit, quod *Alexander II. Bambergensem Episcopum, quamvis hanc Sedem simoniace usurpare accusaretur, honoribus tamen cumularit, eique Pallium contulerit: hic vero Antistes magnificis donis huic Pontifici*

Rr 4

datis

datis eundem placarit? Insuper scribit hic Author, quod Cœlestinus III. Papa Fridericu[m] Henrici VI. Filium in Siciliæ Regem coronari haud consenserit, nisi postquam hic Princeps mille argenti marcas eidem, totidemque Cardinalibus elargitus esset, lib.LXXIV. §.62.

Quo animo Catholicus Lector percipere poterit, quod Joannes Saresberiensis, Carnutensis episcopus, atque ejusdem patricum Adriano IV. Pontifice, antequam mortuus erat, liberrime responderit, palam hæc dicens: *Ecclesia Romana ceteris Ecclesiis omnibus non tam piæ Matris affectum, quam novercæ odium exhibet, reperiuntur in ea non nulli, qui Ecclesias spoliant, & præcipuum Religionis fructum consecutos se esse existmant, si divitias congererint: nihil non vnde habent, ipsamque iustitiam, dæmonis imitatores, qui bene facere videntur, si nocere desierint. . . . Ipse Papa omnibus oneri, & propemodum intolerabilis.* lib. 70. §.15.

Quis æquo animo feret hæc Fleurii verba: *Joannes Cumines in Curia Romana jam versabatur, quo missus fuerat, absolutionem Episcopis excommunicatis impetratus, qui, postquam diu Romanorum animos sollicitasset, & quingentas argenti marcas datum se promisisset, cum Clericis Archiepiscopi Eboracensis, & Legato Episcopi Dunelmensis in conspectum Papæ admissus, ut conjiceretur, quod petebat, obtinuisse, nisi interim nuntium de nece Archiepiscopi Cantuariensi allatum*

allatum fuisse. lib. 72. §. 34. Item: *santus Thomas Cantuarieensis Henricum Juniorum ab Archiepiscopo Eboracensi coronatum fuisse vehementer indolens, datis ad Papam, & Cardinalem Albertum literis hunc in modum effatus est: nescio, quo sato Romæ semper contingat, ut Barrabas liber dimittatur, & Jesus Christus crucifigatur: Romæ pauperes, & exules damnantur, & ideo damnantur, quia pauperes, & sine viribus sunt: econtra absolvuntur sacrilegi, latrones, quos ne ipse S. Petrus posset absolvere . . . Utinam non tam sc̄pe in perniciem hominum innocentium, sed infeliciū iter Romam fuisse suscep̄tum.*

I. c. §. 21.

Num igitur noster Author sancti hujus Martyris, qui pro tuenda sacræ Sedis auctoritate sanguinem suum fuderat, gloriam obscurare intendebat, dum epistolam adeo vehementem, ac bile, & acerbitate plenam in medium produxit? eo tempore Christi Ecclesiam Pontifex regebat Alexander III., sub cuius auctoritate omnis hæc Curiæ Romanæ iniquitas viguisse dicitur: verum noster Author certo certius oblitus erat, quod in sequenti tomo dissertatione IV. Alexandrum accensuerit illis Pontificibus, qui, postquam Ecclesia Romana annos centum, & quinquaginta sub regimine nonnullorum Pontificum sacram Sedem, qua indigni erant, profanantium ingemuit, a Deo hujus Ecclesiæ miserto tanquam pietate,

Rr 5                      & Zelo

*& Zelo restaurandæ Ecclesiæ disciplinæ ardentes vocati fuere.* Proh! ad quantas insolentias prolabuntur illi, qui e livoris impetu abripi patiuntur? verum pressius insequamur nostrum Authorem continuata rabie in summos Pontifices debacchantem, ut eo penitus indolem penetrare valeamus hujus Historici Catholici, qui in hoc gloriæ suæ summam reponit, quod suæ historiæ ea inferere potuerit, quæ tamen etiam Author ex secta Protestantium ortus de hæresis suæ Antesignanis, ac celebribus Viris proferre erubuisset: quinimo cum quanto Zelo, atque ardore Protestantium catervæ in ejusmodi Historicum insurgerent, ejusque opus refellerent? quanto ergo pudore suffundantur Catholici ex eo, quod Historiam tot, tamque scandalosis calumniis scatentem, totque summorum Pontificum honori tantopere injuriam, necnon unitati, sanctitati, ac hodierno Ecclesiæ regimini perniciosem, crebris, amplisque elogiis identidem celebrare non desistant: quanta demum ignomonia redundat in tot Ecclesiasticos, & Religiosos, qui hancce Historiam in vulgus spargunt, atque omnium manibus teri, studiosissime adlaborant.

Erubesco plane omnes hasce abominationes, cunctasque blasphemias adversus tot Christi unctos, eorumque famam effusas referre; pertimescerem enim, ne ipsius

ipsus Catholicorum simul, & Protestantium  
aures offendere, si morosius tam perversi  
ducis vestigiis insisterem, hinc mihi satis,  
superque erit, si hanc in rem duo duntaxat  
adducam exempla, ex quibus elucet, quam  
atris coloribus Author noster Romanam  
Curiam depingere soleat.

Primo igitur hæc profert tomo deci-  
mo quinto lib. LXXIV. §. XXIII. *Richar-  
dus Anglie Rex ad terram sanctam profe-  
sturus Octaviano Cardinali Episcopo Ostiensi  
Romanorum simoniam acriter exprobavit,  
questus, quod accepissent argenti marcas sep-  
tingentas pro ordinatione Episcopi Cenoma-  
nensis, mille quingentas pro legatione Episco-  
pi Eliensis, & magnam pecuniae copiam, ut  
efficerent, ne Elias Episcopus Burdigalensis  
a Clericis suis accusatus exauctoraretur. Ve-  
rum quibus argumentis hic Author atram  
ejusmodi calumniam comprobata reddit?*

Quam horrendum spectaculum Abbas  
Fleurius oculis nostris insuper exhibet, dum  
tomo decimo nono libro nonagesimo pri-  
mo §. quinto Burdigalensem Archiepisco-  
pum ad mendicitatem redactum nobis pro-  
ponit, illumque eo compulsum asserit, ut  
suæ necessitati ex distributionibus quoti-  
dianis prospecturus, veluti simplex Sacer-  
dos Officio Divino assisteret: percipite ipsius  
verba: *Clemens V. Lugduno Burdigalam  
suum persequens iter ab Ecclesiis secularibus,  
& Monasteriis magnas pecuniae summas tam*  
*per*

per seipsum, quam per comitatum exprimebat suum: Bituricum delatus Archiepiscopum fratrem Ægidium Romanum trecentas libras Turonicas sibi solvere jussit, quod bis omis-  
set summam adire Sedem, sicut secundo  
quovis anno oportuisset: atque hic Procul ad  
tantam redactus inopiam fuit, ut instar sim-  
plicis Canonici officio divino cogeretur assi-  
stere de quotidianis distributionibus vivendi  
causfa.

Retraho calamus parcens venerandæ  
fidelium pietati erga summum Pontificem:  
equidem mihi summopere displicet, quod  
me ad eam necessitatem redactum cernam,  
ut hæc verba, quæ sane horrorem inge-  
runt, allegarem: ast haud alia ratione per-  
niciosi hujus operis characterem demon-  
strare potuisssem, cuius tamen nonnisi suc-  
cinctam exhibeo synopsin: quid autem de  
eo censendum foret, si cuncta sigillatim  
referrem, & quasi uno obtutu ea omnia  
exponerem, quæ calumniis plena noster  
Author contra summos Pontifices, sacra-  
que Sedem evomuit: vide tom. 13. pag. 25.  
tom. 20. p. 41. & 146. tom. 14 p. 414. 598.  
tom. 15. p. 59. tom. 16. p. 383. 412. 418.  
444. 668. 670. & seqq. tom. 17. pag. 296.  
309. tom. 19. p. 201. 209.

Ad calcem tamen hujus articoli ad-  
jungere volo aliud specimen atrocissimæ ca-  
lumniæ, qua magis nefanda aduersus sa-  
cram Sedem, & summos Pontifices haud  
alio

ALLES.  
prime-  
opum  
libras  
mifis-  
cundo  
ul ad  
sim-  
affi-  
ivendi  
andæ  
icem:  
quod  
nam,  
inge-  
e per-  
mon-  
i suc-  
m de  
latim  
nnia  
hoster  
eram-  
g. 25.  
598.  
418.  
296.  
i ad-  
æca-  
as fa-  
haud  
alio

ali ex ore, quam cujusdam hæretici, & proscripti Authoris profluere potuisset: quapropter Fleurius Abbas, utpote probus Catholicus, qualem se esse profitetur, erubescere debuisset, quod Historiæ suæ inferere voluerit epistolam a se relatam, quam Fridericus Imperator tum anathemate percussus, suaque rabie abreptus ad Angliæ Regem perscriperat; en ipius verba tom. 16. lib. 79. §. 38. *Ecclesia Romana usque adeo auri cupiditate flagrat, ut bonis ecclesiasticis ejus avaritiae non sufficien- tibus supremos Principes spoliare, sibique ve- stigales efficere non erubescat.*

Silentio prætero simoniam, exaltiones in Clericos inauditas, usuras tum manifestas, tum pallias, quibus totum terrarum orbem inficit: nihilominus si Romanos hosce humanæ sanguinis helluones audias, mellei sunt sermones. Curiam Romanam prædicant Matrem nostram, & Nutricem charissimam, quam uerius Novercam, & malorum omnium fontem dixeris: qualis enim sit, ex fructibus cognoscitur: in omnes orbis partes legatos mittit cum potestate puniendi, suspendendi, excommuni- canandi, non ut fideles verbum Dei edoceant, sed ut extortas pecunias congerant, & metant, ubi non seminarunt, ita opes Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum hospitiorum, quæ Majores nostri ad alenos perigrinos, pauperesque condiderunt, prædantur.

Hæc

Hæc Fridericus Imperator nuper excommunicationis vinculo innodatus anno Christi millesimo ducentesimo vigesimo septimo effutierat: hæc autem sunt illa pretiosa monumenta, ac solidæ rationes, quas Author noster allegat, hunc in finem omnes ferme epistolas, quas præfatus Imperator anathemate perculsus in suæ rabiei æstu contra summos Pontifices dederat, in decimo septimo, & decimo octavo Tomo collegit, huncque librum hoc diademate exornavit: ad hoc enim, ut quisquam Author quantocius honorificum in hac Historia locum sibi vendicet, plus non requirebatur, nisi ut contra sacram Sedem calumnum acuisset; eapropter licet Robertus Grossa - Testa Lincolniensis Episcopus furioso haud absimilis declamet, atque enoribus, quæ adversus summum Pontificem evomuit, convitiis crepet, parum resert, noster Author nihilominus recensitis sigillatim omnibus hisce maledictis, quamvis ea absque horrore perlegi nequeant, pro sua humanitate addit, quod omnes hæ querelæ veritati oppido consonæ fuerint, unde illas in altum efferens inquit: *ha erant querelæ Lincolniensis Episcopi, reipsa quidem nimis acerbæ, veritati tamen admodum congruae . . . obiit . . . die nona Octobris anno Domini millesimo ducentesimo quinagesimo tertio in fama Sanctitatis, imo referunt nonnulli, quod in ipsius morte miracula fuerint*

fuerint patrata. . . . Erat *Vir doctrinae,*  
*vitæ irreprehensibilis, morumque, ac disciplinæ*  
*puritate insignis.*

Insuper si forte mordax quoddam scriptum adversus sacram Sedem emanabat, et si illius Author nomen suum prodere erubuerit, nihilominus Flearius illud mox adoptat, illudque in compendium redigit, dumque sermonem ingerit de quodam Concilio Generali, & de iummo Pontifice, qui cunctis Episcopis, ut ibidem pertractanda adnotarent, praeceperat, hanc in rem Flearius ita inquit libro nonagesimo primo tom. 19. pag. 199. 200. & 201. §. LI. His de monitionibus duæ superfunt nobis, ex quibus Guilielmi Durantii Episcopi Mimatini una erat, altera cujusdam Episcopi, cuius nomen ignoratur: posterioris moniti hæc est summa: *Multi moribus corrupti Clerici variis e regionibus ad Romanam delati Curiam quotidie beneficia obtinent. . . . Novi Ecclesiam Cathedralem, in qua triginta solum capita jure annonae sacræ gaudent, ac per viginti annos, quibus illam Praeful gubernat suus, tricies, & quinquies aut sc̄pius tale jus vacavit, quale tamen iste tantummodo bis contulit.*

Matthæus Parisius Monachus ille Benedictinus, qui ob animi sui vehementiam, atque erga sacram Sedem rebellionis cupiditatem tantopere diffamatus est, unacum Villanio, Friderico II. Roberto Grossio-  
Teita,

Testa, ac tot aliis Scriptoribus cognitis,  
atque incognitis, qui omnes æquali acer-  
bitatis æstro abrepti erant, pariter hono-  
rificum locum in Historia Abbatis Fleuri  
occupare promeriti sunt: sub finem Con-  
cilii Lateranensis Pontifex Innocentius ab om-  
nibus Præsulibus haud exiguae pecuniarum  
summas exegit, quas a Romanis Usurariis,  
duris conditionibus; mutuas accipere, unacum  
sumptibus sui itineris coacti sunt: ita hac de-  
re differit Matthæus de Paris. „Hic idem  
„Author, subjungit Fleurius t. 16. p. 412.  
„l. 77. §. LVII. & LX. integra fide refert  
„imprecations a populo Londinensi in Pa-  
„pam effusas: in ampla hac urbe, inquit  
„ille, nil nisi hæc verba percipiebantur:  
*Romani isti, homines vecordes, Usurarii, &*  
*simoniaci, jacta excommunicationis suæ con-*  
*sura toti terrarum Orbi dominari volunt.*

Postquam novellus hic Author Angiam,  
atque Germaniam hinc convitiis emensus  
erat, transitum fecerat in Gallias, dum ve-  
ro ibidem Robertum Grossa - Testam, qui  
contra Papas haud minus furiosus erat,  
offendebat, illius testimonium quantocius  
veluti pretiosissimum monumentum contra  
Ecclesiæ Romanæ honorem, & sanctita-  
tem referre, illumque amplissimo elogio  
honorare festinabat: hujus rei exemplum,  
quod non sine maxima admiratione legi-  
mus, nobis exhibet liber quinquagesimus  
septimus Historiæ hujus ecclesiastice

§. XXV.

§. XXV. ubi Satyram refert, qua magis virulentam vel unquam hæreticorum quispiam contra Papam excogitare haud potuisset, hancque veluti ab Arnulpho Aurelianensi Episcopo aduersus Joannem XV. Pontificem exacerbato prolatam recenset, hic enim alium Arnulphum sollicitante Hugone Capeto sub annum Domini 991. a Concilio jussu ejusdem Regis in Abbatia sancti Bassoli prope Rhemos celebrato ex-auctoratum Sedi Rhemensi restituerat. Porro in eadem hac Synodo Arnulphus Aurelianensis juratus hostis Arnulphi Rhemensis omnes hasce evomuerat blasphemias, quas Abbas Fleurius in septem majoribus suæ Historiæ paginis posteritati sacrabat, necnon tanquam æquas tuebatur, et si referat, quod hic idem Episcopus rabiæ accensus Pontificem esse Antichristum, atque ab eo, sicut olim fecerat Episcopus Constantinopolitanus, esse deficiendum, necnon schisma conflandum afferuisset: percipiamus autem, qua ratione hosce immoderatos iræ impetus excuset: *In illo Arnulphi Aurelianensis sermone, si ad rigidum examen vocetur, sine dubio aliqua justo acerbius dicta occurrunt, & quæ sacræ Sedis contemptum prodere videntur, sed vix quemquam illius ætatis Scriptorem invenire est, qui res ipsas exacte proponat, & moderata dictio ne utatur. Æquitas vero postulat, verba Episcopi canitie venerabilis, & doctrina, qui hujus*

*Hist. Ecclesiast. Tom. LI. Ss concilii*

concilii spiritus, & anima, dici possit in benigniorem partem accipere. Denique si orationis summam spectemus, tantum abest, ut schisma intendat, ut potius in principio sermonis profiteatur, Ecclesiam Romanam venerari optere, & Decretis Pontificum obedire. atque etiam diserte affirmat, Papæ esse in tota Ecclesia judicare, probi omnes impatientissime sentiant horronda flagitia, quibus Romana civitas per unum jam sæculum polluebatur, unde tam ipsorum Pontificum, quam decretorum reverentia peribat: quamvis enim legislator a dotibus Personæ Præpositi inherentibus absolute non dependeat, non tamen extra curam sunt, & eo libentius Præsuli obedimus, quo magis plu- doctumque esse credimus: quod spectat ad nomen invidiosum Antichristi, comparatio est, non affirmatio, nec Arnulphus aliud dicit, quamquod Prælatus sine charitate eo modo sit Antichri-  
stus, quo Præpositus ignorans idolo similis est.

Nonne magis expedit, si omnia hæc gesta integra fide a Catholicis, quam ab hereticis, qui ea exaggerant, ac suo veneno magis inficiunt, referantur.

Verum vix hereticus omnium vehementissimus cuncta hæc facta, quæ noster Author recenset, magis exaggerare, atque acerbiori bile aspergere potuisset: interim haud minus dolendum, quod Sa-  
cerdos quidam circa regulas charitatis ad eo incurius, necnon usque adeo pertinax inveniatur, ut nunquam offenditionem qua

qua universam læserat Ecclesiam, repa-  
rare cogitarit.

### §. II.

*Auctoris calumniæ adversus auctoritatem, &  
Pontificis dignitatem.*

Postquam Author noster adversus Roma-  
nam Aulam, necnon contra famam il-  
lorum, qui per quingentos, vel sexcentos  
annos sacræ sedi præfuerunt, tanto, ut  
mox vidimus, furore debacchatus erat, pari  
quoque rabie, ac verborum acerbitate, &  
vehementia adversus sedis Apostolicæ jura,  
& dignitatem omni retro antiquitate sum-  
me venerandam insurgebat; si enim ejus  
verbis fides habetur, tunc Pontifex nil nisi  
simplex Episcopus omnibus omnino illis ju-  
ribus, quæ falso sacræ Sedi annexa cre-  
duntur, destitutus, & Principibus laicis sub-  
jectus audit, qui nec habet, nec habere  
debet ullam auctoritatem in universalem  
Ecclesiam: hic idem etiam nonnisi alio-  
rum Præsulum spoliis locupletatus nec ex-  
cellit, nec celebris est, nisi ex enormibus  
usurpationibus, quas quibusdam titulis  
falsis, & supposititiis, qui tamen sub no-  
mine novarum decretalium in sæculo octavo  
procusarum in Ecclesia auctoritatem obti-  
nuerant, subnixus impune attentaverat.  
Hæc ita suis ab Authore nostro prolata,  
impræsentiarum demonstrabimus, dum si-

Ss 2

gil-

gillatim hanc Historiam ecclesiasticam per-  
currere pergemus.

Duo hominum genera, inquit Historicus  
a nobis impugnatus differt. IV. carpent li-  
centiam, qua facta haud sane laudanda a Scri-  
ptore Historiae ecclesiastice referuntur: aliqui  
sunt politici, & profani, qui, cum veram Rel-  
igionem non cognoscant, eam eodem in pretio,  
ac falsam habent, putant esse inventum huma-  
num, quo vulgus in officio contineatur, eaque  
omnia silentio involvenda esse credunt, quacun-  
que Religionis reverentiam in populorum menti-  
bus imminuere, id est, ipsorum opinione, ir-  
yorem eximere posset. cum his Politicis res  
mihi non est, omnia enim ab ovo repetenda es-  
sent, atque ipsi ante omnia docendi, ac con-  
vertendi. At satisfaciendum mihi esse credo,  
idque maxime, si possum, cupio, viris probis,  
& anxiis, qui piissimi quidem, sed non satis  
eruditii, cum improbis paulo ante memoratis  
trepidant, ubi non est timendi locus, ad hor-  
dicerem, quid formidatis? an cognitionem ve-  
ritatis horretis? ergo in errore, aut saltem in  
ignorantia perseverare vultis? an vero, salua  
conscientia, haec ignorare vobis licet? vobis,  
inquam, quorum officium est, ignorantes do-  
cere? viris ecclesiasticis enim loquor.

. . . . An non expedit ea a Catholicis Scri-  
ptoribus fideliter, sincere, simpliciter, sine ex-  
aggeratione referri, quam relinqui furori Pro-  
testantium, qui Historiam ecclesiasticam, ubi  
occur-

occurunt abusus, corrumpunt, adulterant,  
& doctrinæ suæ peste inficiunt.

Hucusque quidem omnium Catholico-  
rum animis ea infedit sententia, quod sum-  
mi Pontificis auctoritas a Christo Domino  
sit instituta, ejusque Primatus ex jure di-  
vino descendat, ac dignitas supremi Capi-  
tis in Ecclesia omnia Episcoporum, Me-  
tropolitarum, Primum, & Patriarcha-  
rum jura in se complectatur, eoquod emi-  
nenter, imo & reapse omnes hosce titulos  
nobiliori modo in sua persona unitos con-  
tineat: ast Fleurius Abbas, postquam om-  
nia, quæcunque ejus oculis occurribant,  
five vera, five falsa, corraserat, atque suæ  
Historiæ inseruerat, veritatem hucusque  
ab omnibus retro sæculis incognitam de-  
textit; quippe juxta ipsum soli Principes  
schismatis tempore sibi Papam eligendi jus  
habent: id quoque Franciæ Regno com-  
petit, si enim Cardinales nimium ejusmodi  
electionem differunt, tunc Francia Papam  
sibi ex ultramontanis eligere, ceterosque,  
ut eundem recognoscant, compellere va-  
let: id enim unum est ex illis privilegiis,  
quorum oblii sunt Gallicanarum libertatum  
defensores, cujus tamen detectam origi-  
nen Fleurius suo Heroi Matthæo Paris  
Monacho Benedictino in acceptis refert.

Item post Gregorii IX. obitum Cardina-  
libus, cum Papam non eligerent, Fran-  
cia rescripsit: nisi vos Papam elegeritis,

Ss 3 quære-

*quæremus media vestram supplendi negligentiam  
et nobis constituendi Papam cis alpes, cui mo-  
rem gerere debeamus. Matthæus Paris ha-  
referens addit, Gallos has minas inten-  
ausos esse ob suum jus antiquum S. Dionysio  
a S. Clemente datum, cum illum ad occidentis  
populos sacram in expeditionem mitteret.*

Si ergo Fleurio Abbati fidem adhi-  
beremus, tunc ipfismet Gallis vi privilegiū,  
quod sancto Dionysio fuit concessum, Pa-  
pam creandi jus competeteret: si vero schis-  
ma inde orireretur, omnes Principes ex  
sola sua auctoritate in favorem cujusdam  
exCompetitoribus decidere, ac fideles com-  
pellere valerent, ut illum, qui eis præpla-  
ceret, vel eum, quem firmiori jure sus-  
fultum crederent, in Papam agnoscere  
tenerentur: „octogesimo anno, inquit Fleu-  
„rius tomo 15. postquam Honorius Impe-  
„rator de Eulalii, & Bonifacii electione  
„cognitionem habere cæperat, Theodori-  
„cus Rex ambos Competitores Symma-  
„chum, & Laurentium Romam convocans  
„in favorem Symmachi pronuntiabat...  
secus schisma finiri haud potuisset, e quod ex  
contendentibus quivis sese Papam legitimum  
proclamaret, necnon ambo contenderent, quod  
in terris judicari non possent.

Itane Sacerdoti Catholico, cuius eru-  
ditionem Pastellus tantopere deprædicat,  
permisum sit, ut violentam Ariani Regis,  
qui Romanam Ecclesiam haud tolerando  
jugo

jugo oppresserat, agendi rationem stabilit? ex quonam documento eruit, quod hic idem competitores Ravennam accersiverit, atque ex hoc loco in Symmachi favorem pronuntiarit? num ignorare potuit illud Concilium, quod ad decidendam hanc litem celebratum fuerat? quomodo Gallum, qui Historiæ ecclesiasticæ opus in lucem edere aggressus est, subterfugere potuit, quod Ecclesia Gallicana sese huic novitati opposuerit? an ignorare valuit, qua ratione Avitus Viennensis Archiepiscopus hac super re in literis, a se ad Senatum Romanum nomine omnium Franciæ Præsulum datis, mentem suam explicarit? Exstant hæ literæ in Conciliorum collectione a P. Sirmondo facta: decet, inquit Avitus illustris hic Romanorum Cæsarum surculus magis adhuc virtutum gloria, quam generis nobilitate conspicuus, „decet, ut nostri Episcopi sint subjecti „potestatibus sacerularibus, ita Deus nobis „præcipit: ast comprehendi haud valet, „qua ratione inferiores audeant suos Superiores judicare: re ipsa quidem Episcopi, „si culpis obnoxii sunt, judicari valent, Papa tamen dijudicari nequit absque totius Episcopatus præjudicio: præter Deum „non est alias, cui illum judicandi potestas competit. „ At si Papa verbis vocetur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare. Reddet rationem, qui

Ss 4

ovili

ovili Dominico præst, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Ceterum non est gregis proprium terrere, sed *Judicis*.

En! hæc erat mens, hæc erat in sæculo quinto Ecclesiæ Gallicanæ vox, & sermo, quam loquela in sequentibus etiam sæculis ipsa continuo tenebat, atque etiamnum ubique teneret, nisi novitatis, atque independentiæ prurigo, qua nonnulli Autores excitantur, infausto prorsus fato tandem illos eo adigeret, ut Sedis Apostolice jura omni ævo sacrosancta, necnon a tota retro antiquitate summe veneranda veluti totidem usurpationes a summis Pontificibus ope novarum Decretalium factas despingere fatagerent.

### §. III.

#### *De Episcoporum Exauctorationibus.*

Sane vix ex alio firmiori titulo suprema Romanæ sacræ Sedis auctoritas probata redditur, nisi ex jure, vi cuius summis Pontificibus competit, ut Episcopos dijudicare, atque exauctorare valeant: hoc item jus Pontifices nemine contradicente per universam occidentalem plagam pluribus retro sæculis exercebant, atque hodiecum exercent: ast Fleurius Abbas hoc idem jus oppugnare aggreditur: percipite, qua ratione hac in re mentem suam explicit in dissertatione, quæ tomo decimo sexto

sexto præfixa habetur: *In factis Decretalibus afferitur, soli Papæ competere, sententiam decretoriam in Episcopos ferre, atque hæc regula sœpius in iis inculcatur: verum tamen exempla centum, novæ huic regulæ contraria, menineris, lector. . . . Historiam penitus eum ignorare, necesse est, qui putat, nunquam, & nullibi caussam Episcopi finiri posse, nisi vel ipse Romam mittatur, vel inde Legati Pontificii accersantur: quinimo etsi aliquis Historiam ignoraret, si tamen sano duntaxat judicio prædictus sit, facile penetrabit, rem fuisse factu impossibilem. . . . Illud quidem constat, sed raro accidit, quod Episcopi manifeste oppressi, & in Conciliis provinciæ suæ nefaria inimicorum factione damnavi, ad Papam, utpote omnium Episcoporum Præpositum, & sacrorum Canonum Protectorem confugerint, idque in Concilio Sardicensi statuitur, sed volunt illius Concilii Patres, ut Papa, sive Legatum mittat, sive non mittat, caussam in illa Provincia, in qua reus deliquit, discuti curet, quia nihil facilius, quam Judici valde remoto imponere.*

Tandem ad Papam refugere, quod a Concilio Sardicensi quibusdam concessum, præcipue locum habere debebat, in caussis omnino singularibus maximorum primas Sedes tenentium Episcoporum, quales erant *S. Athanasius, S. Joannes Chrysostomus, S. Flavianus Constantinopolitanus*, quibus Superior, quem adirent, præter sumnum Pontificem non fuit.

Ss 5

Jam

Jam antea Fleurius Henrici verba  
mo decimo quinto referens dixerat, quod  
potestas, quam Papa sibi arrogat, non nisi  
imaginarium jus sit. Ceterum id, quod  
Henricus II. Rex asserebat, scilicet, quod  
*Papa suam auctoritatem ab hominibus recep-*  
*rit, falsum est, si intelligatur de Primatu,*  
*qui eidem ex jure divino competit: si vero*  
*intelligatur de potestate, qua solus Episcopos*  
*judicare posset, de quo jure hic controverti-*  
*tur, verum est, quod hanc potestatem Pa-*  
*pa duntaxat ab hominibus ex usu in falso*  
*Decretalibus fundato teneat. . . . „Aliud*  
*, „vulnus jurisdictioni Ecclesiæ intulit Epi-*  
*, „scopos judicandi ratio per falsas Decre-*  
*, „tales introducta, vi cuius soli Papæ ipso-*  
*, „rum judicium reservatur. „*

Priusquam articulatim tria hæc  
loca a me mox relata discutiam, liceat  
mihi novæ hujus Historiæ ecclesiasticæ  
Auctori applaudere, eoquod tandem fateri  
voluerit, quod Papa omnium Præsulum  
Superior, & Canonum custos sit, ejusque  
Primatus ex jure divino descendat; quis  
enim hunc ejusmodi mentis fuisse non du-  
bitasset, postquam palam enuntiare audiu-  
tus est, quod singulare sibi Papam ell-  
gendi privilegium Gallis competit, atque  
usus, vi cuius ceteri Præsules in suis Dioc-  
esibus non residebant, auctoritatem mu-  
tuarit ex eo, quia ipsimet Pontifices diu  
Avenione morabantur; verum quis demum  
non

non credidisset, quod Papa nil nisi simplex Romæ Episcopus foret, cum Avenione commorans in sua Diæcesi non residebat, nec absque beneplacito, & Episcopi Diæcesani licentia suum munus exercere poterat. tom. 20. p 278. qua ratione sibi quis imaginari potuisset, quod Fleurius Papæ Primatum ex jure divino descendere, ac in omnes Episcopos superioritatem habere credat; cum tamen in omnibus viginti suæ Historiæ ecclesiasticæ volumini bus unice eo intentus fuit, ut Papam ex spoliaret cunctis suæ Sedis prærogativis, quamvis hæ luculenta sint argumenta, quibus Catholici comprobatum reddunt, quod Papa Primatum, & supremam in omnes Episcopos auctoritatem teneat: porro in quoniam consistit hic Primatus, hæcque summa in cunctos Præfules potestas, si juxta Abbatem Fleurium ipse non minus, ac illi, Canonibus subjicitur? Enimvero amplissima hæc: *primatus ex divino jure,* *Superioritas in omnes Episcopos:* verba tandem sepe unice eo restringunt, ut Papa Canonum violationes cognoscere, easque deplorare valeat, quin aliam in Episcopos auctoritatem exercere possit, nisi eam, quam ipsimet eidem precario indulgere volunt, seu, prout paucis verbis absolvam ea, quæ Auctor tam sæpe repetit, hoc Episcopos judicandi jus sacræ Sedi annexum nil aliud est, quam usuratio falsarum Decre talium

talium subsidio attributa, & in Ecclesia ante disciplinæ immutationem in saeculo IX. factam haud cognita: etsi ergo Sardicensis Synodus oppressis Episcopis nil ultra permiserit, nisi ut Papæ justitiam implorent, hic tamen ipse recursus ad Papam juxta Fleurium duntaxat concedebatur ampliorum diaecesum Episcopis, qui nullum Superiorem agnoscant, quales erant Orientis Patriarchæ. Ex hujus Auctoris sententia crassissima prorsus ignorantia est, si afferatur, quod nullo unquam tempore, vel in nulla regione Episcopus judicari potuerit, quin Papæ Deputati accersiti fuerint, hanc vero rem nullatenus fieri potuisse, vel solo sanæ rationis subsidio facile juxta Fleurium cognosci potest. Hæc sunt tres illæ nostri Authoris propositiones, quarum falsitatem impræsentiarum demonstrabo.

Præprimis Fleurius afferit, quod duntaxat falsarum Decretalium ope suffulti Pontifices Episcopos judicandi jus usurpatum sibi attribuerint, usque ad illud autem tempus novæ hujus disciplinæ nullum inventiatur vestigium: verum quis hac super re sensus Abatti Fleurio? num forte jam illorum oblitus est gestorum, quæ ipsomet retulit: ergone illa eidem in memoriam revocare cogor?

Haud ea, quæ in Oriente acciderunt, impræsentiarum referto; Fleurius enim probe prævidit difficultatem, quæ ipsi circa Patri-

Patriarchas exauktoratos, atque a Pontificibus ejectos, necnon circa Orientis Episcopos in Conciliis sede motos, atque a summis Pontificibus Ecclesiæ suæ restitutos objici possent: hinc ipse Lectori suo satis, superque datum existimat, dummodo referat, quod ecquidem Euthymius ab Agapito Papa anathemate perculsus, atque exauktoratus, Petrus Alexandrina, Acacius Constantinopolitana, Petrus Antiocheno Sede pulsi, atque omnes tres a Felice Papa excommunicati, Athanasius vero, Chrysostomus, Flavianus, suis Sedibus restituti fuerint, iidem tamen Sedes, quæ Superiorem non agnoscunt, occuparint, atque eam duntaxat ob rationem ad Papam recurrere valuerint. Verum, qui ita sermocinatur, jam admittit, quod Pontifices ante falsarum Decretalium originem omnes Patriarchas suis Sedibus amovendi, ac restituendi jus in Ecclesia Orientali posse derint, atque Romanus Episcopus jam antea tanquam *Capitum Caput* (ut Theodori Studitæ verbis utar) agnitus fuerit. Ceterum hoc discrimen inter Episcopos, Superioribus obnoxios, & inter Præfules nullum Superiorem agnoscentes, illis annumerari meretur effugiis, quibus quidam Scholaris in schola uti posset, si quadam difficultate se nimium premi sentiret: attamen ejusmodi effugium in dedecus cedit tanti Historici, cuius eruditio illius Cenforem

forem in admirationem rapit: quis enim v.g. ignorat id, quod sanctus Basilius in sua septuagesima quarta epistola refert, scilicet, quod Eustachius Sebastenus a Concilio exauctioratus Sedi suæ restitutus fuerit, simul ac in Tyannensi Synodo demonstratum ibat, quod a Liberio Papa Ecclesiæ suæ redditus fuerit? nihilominus Eustachius Superiori suo obnoxius erat? quem latet caussa Basilidis Hispani Prelatis in quodam Concilio a suis confratribus depositi, atque a Papa restituti? Quot ejusmodi exempla Historiam ecclesiasticam percurrentes ante falsarum Decretalium ætatem huc proferre possem? pauca duntaxat ex Francia repetam.

Fors Fleurius jam oblitus est, quod anno Christi quadragegesimo decimo septimo Zosimus Papa ad Franciæ, Hispaniæ, & Africæ Episcopos prescribens eisdem significarit, quod ipse Ursus, & Tuentium Episcopos exauctorarit? nonne hic idem Pontifex Proculum Massiliensem Episcopum deposuit? nonne hujus exauctionis legitimum testimonium est ejusdem Papæ epistola, quam anno Salutis nostræ quadragegesimo decimo octavo ad Massiliensem Clerum dederat, eidemque præceperat, ut ad novi Episcopi electionem procederet?

Quot demum ejusmodi exempla nobis suppeditat sæculum quintum? Accusabatur

tur Maximus Valentiae in Delphinatu Episcopus, quod Manichæorum secta infectus, ac homicidii reus esset, nonne illico hæc caussa Romam devolvebatur, ac et si Bonifacius VII., ad quem recurrebatur, judicium ad Episcopos remiserit, eorum tamen sententiam aut confirmandi, aut irritandi jus sibi reservavit, eisdem declarans, quod in prima, ut vocant, instantia desuper judicandi jus sibi competeret: *debueram JAM NUNC dignam ferre sententiam.*

Insuper quis nescit, qua constantia Leo I. Pontifex exauctorationis sententiam anno 444. *contra Chalidonum Bisuntinum Archipræsulem ab Arelatensi Concilio pronuntiatam irritarit?* nonne ipsus eundem suæ restituit Sedi? nonne eandem quoque agendi rationem tenuit circa Patrocolum Episcopum, cui Hilarius Arelatensis Archiepiscopus jamjam Successorem subrogabat?

Ipsimet etiam Metropolitæ, quantumvis sanctissimi fuerint, nonne eandem Pontificum severitatem experiebantur, quotiescumque gravioris culpæ rei fuerunt inventi? Ergone Fleurius haud ultra recordatur, quod anno Domini quadringentesimo sexagesimo secundo Hilarius Leonis I. Successor Hermam Narbonensem Archiepiscopum officio suo suspenderit, eumque omnibus Metropolitanæ dignitati annexis prærogativis exuerit? Hic idem Papa nonne

nonne Leontio Arelatensi Archiepiscopo injunxerat, ut in Mamertum Viennensem Archiepiscopum judicii acta instrueret, quamvis sibi definitivum reservaret judicium.

Nonne constat, duos Archiepiscopos, & horum quidem unum a sui Metropolitæ sententia secundum sacrorum Canonum præscripta ad summum Pontificem appellasse, propriumque Judicem, ut suam agendi rationem tueretur, Romam accedere fuisse compulsum, alterum vero non sine animi mœrore expertum fuisse, quod Episcopus, quem ipse met exauctoravit, de novo Sedi suæ fuerit restitutus, ipse vero, et si Metropolita fuerit, in Franciam Sede sua exutus redire sit coactus: „Prohibeo, „inquietab Leo I. Franciæ Episcopis, pro- „hibeo Hilario Arelatensi, ne in Viennenfi „Provincia ullum creet Episcopum, aut „cujuspam consecrationi interficit, ipse „verò Arelatensis loco gratiæ habeat, quod „ipsum a suo Episcopatu non deponam.”

Enimvero hoc exemplum adeo notum est, ut Fleurius illud minime ignorare potuerit, quinimo illud ipse met refert, verum quam artificiosis, ac quæsitis coloribus illud occultare fatagit? enimvero non sine stomacho illius duntaxat relatio percipi valet, tot enim falsitatibus, atque tam celebris Pontificis famæ, sacræque Sedis injuriosis circumstantiis illud conspurcat, refert

refert enim, „quod sententia in Divum Hilarium lata duntaxat ex mala affectione, „& sancti Leonis vehementia ortum traxerit, eoquod sanctus Hilarius in Concilio Romano sibi odium accersivisset ob audaciam suam, qua semetipsum defenderat, „hancque ob rem Ordinatio ab eo facta irritabatur.“ Interim Magnus hic Papa, Franciae Episcopos de sententiæ suæ ratione certiores reddens inquit, quod Ordinationem a S. Hilario factam ideo irritam declararit, eoquod sacrorum Canonum præscripto adversaretur, & Hilarius, cum non esset Metropolita, nec eum, qui illius suffraganeus non erat, consecrare potuerit.

Verum quid defumi valet ex eo, quod Fleurius afferat, Hilarium in Concilio Romano, quod Papa ad dijudicandam caussam convocasset, se exosum reddidisse? num forte nobis significare intendit, quod Episcopum exuctorandi, atque ejusmodi sententiam ferendi jus soli Papæ non competit, sed duntaxat id in Concilio fieri queat? Ipsius quidem foret mentem suam desuper explanare: ast quin in ejus mente penetranda anxius hæream, ausim dicere, quod hac doctrina nil magis falsum excogitari valeat, ac nunquam S. Leo hanc ob rem Syndicum congregarit. Debuisset ergo Fleurius suas proferre rationes, quibus permotus ejusmodi novitatem protulit, saltem sanctus Leo nullam hujus Concilii men-

Hist. Eccles. Tom. LI.

Tt tionem

tionem fecerat in epistola ad Viennensis Provinciæ Episcopos data, in qua de omnibus hucusque gestis integra fide rationem reddebat.

Haud ignoro equidem, ab Honorato Massiliensi, qui est Auctor vitæ S. Hilarii Arelatensis, asseri, quod omnes Viros magis conspicuos, coram quibus comparuerat Hilarius, ea vehementia, qua Papam alloquebatur, offendisset, hic tamen Scriptor nullam Concilii Romani mentionem fecit, nisi forte Author noster nomine Concilii honorare velit quorumdam Sacerdotum conventum, seu quamdam Cardinallum Congregationem, vel Consistorium a Papa habitum: porro si ita foret, plane etiam Sorbonnæ Doctores a Jansenistis Romam eo fine Deputati, ut quinque prescriptas propositiones vere Catholicas esse propugnarent, gloriari possent, quod Innocentium X. Papam compulerint ad congregandam Synodus Romanam, coram qua ipsi falsæ suæ doctrinæ principia explicarent, quibus non minus quidam Cardinales, qui hisce colloquiis intererant, scandalizati sunt, quam illi, qui sanctum Leonem comitabantur, arrogantiā & vehementiam, qua Hilarius differebat, indignabantur.

Proh! quot errores in exacto Historico minime tolerandi, conjunctim in sola narratione historiæ circa Hilarium Arelaten-

sept.

sem hic reperiuntur? Romanum hoc Concilium mere quidem confictum est, nihil tamen refert: audacter noster Auctor assertit, quod Hilarius in eo inter ipsos Judices confederit.

In quanam autem Historiae ecclesiasticae parte Fleurius alteram invenerat falsitatem? dum afferit, „quod sanctus Leo Hilarium Romæ commorantem Satellitio „custodiri jussit, atque ille duntaxat custodum vigilantiam eludendo in Gallias „reverti potuerit.“

Ergone anno Incarnationis Dominicæ quadringentesimo quadragesimo quarto Romani Cæsares nondum hanc totius Orbis Metropolin suo imperio subjectam tenuerunt, Leo vero jamjam tanta prævalebat potentia, ut in hac urbe satellites ad suum obsequium paratos habere, necnon jurisdictionis civilis munia publice exercere valuerit?

Plane falsitatibus, quibus noster Historicus Hilarii Arelatensis gesta corrupit, me eo abruptum cerno, ut vix non prætergressus essem errorem, quem impugnare statui, atque ipse propugnare fatagit, scilicet, quod Pontifices falsarum Decretalium ope Episcopos judicandi, atque exauctorandi jus sibi arrogariat: inventum sane, quo magis frivolum vix excogitari potest, prout comprobatum redditur ex omnibus Episcoporum exauctorationibus

Tt 2

ia

in saeculo V. factis, quod tamen saeculum noster Author aurea Ecclesiae tempora appellat.

Quam copiosum etiam numerum proferre possem illorum Episcoporum, qui a Saeculo VIII. usque ad XIV. vel a summis Pontificibus, aut eorum Legatis aut depositi, aut Sedibus suis restituti fuerunt revocetur, si fieri potest, in memoriam numerus eorum, quos Nicolaus Papa, omnesque ejus Successores usque ad Concilii Constantiensis tempora vel Romam citarunt, ac comparere jusserunt, vel definitiva sententia judicarunt, aut exauctorarunt, aut sententiam exauctorationis a Franciae Conciliis ibidem celebratis pronuntiatam confirmarunt? num forte Gallicarum Praesules ignorabant, quod existimatum hoc Pontificum jus nonnisi usurpatio falsis Decretalibus suffulta sit? quam servidam item cum Nicolao summo Pontifice agitabat Hincmarus Rhemensis, intrepidus ille Episcopaliter independentie clypeus, ac eximius ille libertatum Ecclesiae Gallicanae Defensor? nihilominus post cunctas hasce servidas altercationes, nonne cernere coactus fuit, quod Rothadus Suezionensis Episcopus, quem ipse in tot Conciliis exauctorabat, Sedi suae restitueretur? quot, & quantis non utebatur artificiis, ad quantum demissionem ipsem non descenderat, quam humiles literas hic

hic Præful sua eruditione tumidus, ac Caroli Calvi Cæsaris patrocinio fretus non perscripserat ad Papam, ut ipsius animum placaret, hacque ratione suam exauctorationem præpediret? Præevaluit tandem, & æque, ac omnes ceteri Præfules, sese subjecere, necnon profiteri cogebantur, quod hoc Pontificum jus nequaquam quibusdam Decretalibus innixum, sed potius sacræ Sedi annexum, atque ab ipsomet sancto Cypriano agnatum sit: ut vero Lector hac de re convictus permaneat, pervolvat ipsam epistolam ab hoc sancto Martyre ad Stephanum Pontificem datam, qua ipsum rogabat, ut Martinianum Arelatensem Archiepiscopum exauctoraret, eique successorem nominaret: referam huc latino idiomate ipsius verba: *Dirigantur a te literæ, quibus abstento Martiniano, aliis in ejus locum substituatur.*

Eapropter sanctus Leo Papa in epistola, quæ nunc est octogesima nona, ad Franciæ Episcopos data de hac prærogativa sacræ Sedi annexa, vicujus Papa Episcopos judicare, & exauctorare valet, differens ait, hoc jus esse antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem. Num vel unquam in Sæculo V. de falsis Decretalibus mentio fuit facta? & tamen jam tum hoc Pontificum jus invaliduit, atque pro longissima consuetudine habitum est.

Tt 3

Porro

Porro priusquam hunc articulum de Episcoporum depositione absolvam, necesse est, ut nostri Historici errores circa Sardicense Concilium manifestem: si enim ipsius verbis fides habenda foret, tunc hoc Concilium Pontifici duntaxat indulxit, ut extraordinarias Episcoporum, qui nobiliores Sedes occupabant, nullumque Superiorem recognoscebant, causas cognoscere valeret, quinimo in eodem loco addit Fleurius, quod harum caussarum cognitionem extra locum, in quo Episcopi erant, sibi vendicare haud potuerit. Verum per volvantur duntaxat Concilii Sardicensis acta, & mox cuivis persuasum erit, quod ibidem generatim de omnibus Episcopis actum fuerit, & solus Papa eos judicandi jus habeat: *Quod si*, dicitur Canone tertio, *aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua caussa, & futat se bonam caussam habere, ut iterum Concilium renovetur; si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui examinaverunt, Julio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandam esse caussam, judicium renovetur, & det Judices. Si autem probaverit, talem caussam esse, ut non refricentur ea, quae acta sunt: quod decreverit, confirmata erunt.*

*Hæc verba: aliquis Episcopus, & aliquis in caussa, propter quam Episcopus fuit condemnatus, num forte duntaxat intel-*  
*ligi*

ligi valent de nobiliorum Sedium Episcopis, qui nullum se superiorem agnoscunt?

Dein canone quarto idem Concilium addit, ac prohibet, ne ad consecrationem, novique Episcopi inaugurationem in illius, qui fuit depositus, locum procedatur, *nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata*, nam, prosequitur Synodus Can. 7. erit in potestate Romani Episcopi, quid velit, & quid aestimet, faciet, quod sapientissimo suo Concilio judicaverit.

Nunquam sane aliquod Concilium testimonio magis luculento quoddam Pontificis jus agnovit, ac ipsa Synodus Sardicensis in hoc loco circa Episcoporum depositiōnem, vel eorum revocationem ad pristinas suas Sedes: num unquam cujusdam juris possessio magis avita, magis continuata, aut solidius comprobata exstitit? ad iudicium appello omnium illorum, qui animo a passione alieno cuncta Historiæ ecclesiasticæ monumenta pervolverint a Sæculo III. usque ad Sæculum XVII., in quo novissimum exauctorationis exemplum occurrit in persona Domini de Rieux Leonani Episcopi. Num vel unicum reperitur exemplum, quo comprobatur, aliquam cujusdam Episcopi exauctorationem in Ecclesia Gallicana absque Pontificis consensu, aut auctoritatis ejus interventu fuisse factam? qua ergo audacia animatus Historiæ ecclesiasticæ Author asserere præsumit, quod

Tt 4 falsæ

falsæ Decretales sint unica basis, & fundamen-  
tum hujus auctoritatis a summo  
Pontifice sibi arrogatæ?

## §. IV.

*De Erectionibus, Unionibus, Divisionibus, &  
Episcopatum translationibus.*

Cum noster Historicus totus in eo sit, ut  
Pontificiam auctoritatem evertat, eam-  
que ad simplicis Metropolitæ potestatem  
redigat, postquam Pontifices suo Episcopos  
exauktorandi jure exuit, ad ampliora ma-  
num extendit; audacter enim afferit, quod  
summi Pontifices pariter Episcopos ab una  
Sede ad alteram transferendi, novos Ar-  
chiepiscopatus, aut Episcopatus erigendi,  
illos uniendi, vel eorum quosdam suppri-  
mendi jus usurparint, conficta autem hæc  
jura itidem nulli alteri fulcro, quam falsis  
Decretalibus, quæ a pluribus falsitatum  
Architectis in saeculo nono confarcinatæ  
sunt, innitantur, cum tamen hæc jura pro-  
prie Metropolitis, & Conciliis Provincia-  
libus competerent. Percipiamus, qualiter  
ipsemet Author noster hac super re men-  
tem suam explicet in dissertatione tertia  
ad tomum decimum sextum: *Fistæ De-  
cretales præterea soli Romano Pontifici ius Epi-  
scopos ab una Sede ad aliam transferendi tri-  
buerunt. Verum Concilium Sardicense, alia-  
que, in quibus hujusmodi translatio distri-  
prohibita, nec Papam exceperunt, & quando,*  
*litteris*

licet id raro factum, aliquis Episcopus, ita exigente manifesto Ecclesiae emolumento translatus est, id Auctoritate Metropolitae, & Concilii Provincialis factum.

Profecto Fleurius apud hodiernam Ecclesiam Gallicanam, quæ Episcoporum translationem inter majores caussas, quarum judicium soli Papæ reservatum est, numerat, optime meritum sese reddidisset, si unicum duntaxat protulisset exemplum, quo probaretur, quod a primo Monarchiæ exordio aliquis Episcopus ad aliam sedem, aut a quodam Concilio Provinciali, aut independenter a Papa fuerit translatus: quinimo hunc Authorem provoco, an ipse exemplum magis antiquum adducere queat, quam illud Artardi Nannetensis Episcopi, quem Adrianus II. Papa anno Salutis nostræ octingentesimo septuagesimo primo ad Turonensem Archiepiscopatum transtulit, postquam illum Populo, & hujus Metropolitanæ Ecclesiae Clero concedere per integrum quadriennium renuerat, ac tandem eorum precibus cesserat. Id nos docet ipse met Papa in epistola ad Doviense Concilium, quod ipsum hac super re interpellabat, hanc per occasionem data, nam sicut Synodus postulavit, plebs, & Turonicus Clerus eum concorditer elegit, per nostræ auctoritatis decretum constituimus Cardinalem Metropolitanum, & Archiepiscopum Turonicæ Ecclesie, atque provincie.

Tt 5

Quinto

Quinto post anno, seu Christi octingentesimo septuagesimo sexto Joannes VIII. Papa Frotariam Burdegalensem Archiepiscopum ad Bituricensem Archiepiscopatum transferebat, e quod, uti ipsem testatur, id Carolo Calvo Cæsari, qui hanc translationem impense ab eo efflagitabat, recusare haud valeret, atque Normani ejus diæcesin Burdegalensem penitus devastassent: viden duas præ ceteris vetustissimas Episcoporum translationes, quas in Galliis factas reperio, eæ tamen a summis Pontificibus ad Cæsariorum Gallicani Cleri, & Provincialis Synodi preces factæ sunt. His ita constitutis num quis asserere audeat, quod hoc Pontificum jus nil nisi violenta sit usurpatio Episcoporum juri pernicioſa? Pergamus autem insequi verba Fleurii, quæ ibidem in eadem dissertatione tomo decimo sexto præfixa profert, ubi de Episcopatum, & Archiepiscopatum erectione differit.

*Eadem est rerum facies in novarum Cathedrarum Episcopalium creatione. Si falsi Decretalibus fidem habemus, id juris soli Papæ competit: si autem antiquam disciplinam consulamus, Concilio Provinciali hæc potest erat, atque hac de re in Codice Conciliorum Africæ clarissimus Canon extat. Ac proposito si sola propagatio Religionis, & Fidelium commodum quæratur, multo magis rationi consentaneum erat, Judicium Episcopis relinquere: quibus*

quibus Urbibus proprius Episcopus necessarius esset, & quinam viri ad officium Pastorale ob-eundum magis idonei existerent, quam curanz istam ad Papam referre, remotissime degentem, qui non sine magna difficultate Ecclesiarum illarum statum doceri poterat, utut enim Mandatarii delegentur, qui commoda, & incommoda pensent, nunquam eam cognitionem capiet Judex, quam præsens suis oculis sibi parasset.

Nempe fiducie Decretales epistolæ, quæ jure isto solum Papam donant, neandum in lucem prodierant.

Postquam Romani Pontifices de creandis Episcopalibus Cathedris jus possessionis sibi acquisierunt, multas civitates, in primis in Italia, nulla urgente necessitate, sed ut honorem exhiberent, dignitate Metropolitica auxerunt. Concilium Nicænum, cui sine dubio jus competebat Ecclesiæ novis prærogativis exornandi, nihil aliud dicit, quam singularum Ecclesiarum privilegia, pro antiqua consuetudine, esse conservanda. Unde discimus, distinctionem Ecclesiarum Metropoliticarum, & Patriarchalium jam illa ætate longa possessione suisse confirmatam. Pontifices a saeculo undecimo non solum Metropolitas, sed etiam Patriarchas, & Primates crearunt, nullo alio fundamento nixi, quam falsarum Decretalium, videlicet primæ epistolæ, quæ S. Clementi tribuebatur, ac secundæ, & tertiae, quæ Anacleti Papæ esse credebatur, ubi Apostoli, eorumque Successores dicuntur Patriarchas, & Primates constituisse in illis Urbibus,

bibus, in quibus pro regimine civili præcipi Magistratus degebant, & ubi Paganorum Archisflamines versabantur, vox barba ha-  
est, quam frustra alibi, quam in ipsis Dicri-  
talibus quæsiveris. Notasti autem sine dubio,  
*Lector!* quod in primis sæculis Archiepiscopi  
nomen nequidem notum fuerit. Summi Prae-  
lates Episcopus Romanus, aut Episcopus Alexan-  
drinus, sicut alii in minorum gentium urbibus  
appellabantur. Episcopi in epistolis mutuo  
se datis Fratres sese perfecta æqualitate vocabant,  
quod ex inscriptionibus literarum S. Cypriani  
videmus, quo magis autem charitas refrigerare  
cœpit, tituli, & ceremoniae augebantur.

Unde satis efficaciam inesse Bullæ, causa  
non cognita, editæ, qualis Callisti II. in causa  
Primatus Ecclesiæ Viennensis fuit, ad anti-  
quum Ecclesiarum ordinem subito evertendum,  
Episcopis, quorum interest, invitum, nemo ex-  
stimet.

Quanta nos voluptate perfudisset Fleu-  
rius, si ea Provincialia saltem Ecclesiæ  
Gallicanæ Concilia allegare voluisset, quæ  
ex sola sua auctoritate novos Episcopatus,  
atque Archiepiscopatus erexerunt, nam sal-  
tem ea monumenta, quæ ipse hac in re  
fors habuit, celebriores Canonistas late-  
bant. Quid ergo Ivo Carnutensis fecit,  
dum Paschalem. II. Papam rogabat, ne  
Tornacensem Ecclesiam in Episcopatum  
erigens a Noviodunensi segregaret. Con-  
sulatur ipsius epistola numero ducentesima  
trigesima.

trigesima octava? quis tum sensus Noallio Cardinali fuit, dum sibi honori ducebat, quod simplex esset executor voluntatis Pontificiae circa erectionem Blesensis Episcopatus? num forte hic Archipræsul in veteri disciplina, quæ utpote Provinciæ Præsuli ejusmodi erectiones faciendi jus ipsi soli attribueret, adeo rudis erat, ut sibi eximium honorem ex eo conferri crederet, quod Papa ei committere voluerit, ut relationem simplicem, quæ *de commodo, & incommodo* vocatur, saceret. Quid! Cardinalis Noallius palam profitetur, quod Episcopatum erigendi jus, etiam in propria sua Metropolitana Ecclesia, sit Romanæ Sedi *privative* annexum. Quid! ipse sibi honori dicit, quod pro absolvendo hoc opere jussa Pontificis executioni dare selectus fuerit: Fleurius tamen absque animi anxietate asserere audeat, quod Papa nil nisi jurium ad Metropolitanos spectantium usurpator sit: attamen ipsem Noallius Cardinalis suo exemplo posteris, quanta submissione hac in refummi Pontificis mandata excipient, ostendere, simulque proprio oris sui testimonio nobis suppeditare voluit novum argumentum illius juris minime dubii, quo summi Pontifices in erigendis Episcopatibus fruuntur: eapropter novis suis ad Clerum monitis tom. 2. pag. 112. suam ad Innocentium XII. Pontificem epistolam inferere voluit, cuius duntaxat sequens

quens adduco fragmentum. Cum pro Ecclesiæ bono, & augmento Diaœcsum divisio, & Ecclesiarum Cathedralium erectio ad summum Pontificem, sanctamque Sedem de jure pertinere dignoscatur; cum etiam Sanctitati suæ processus conficiendi curam nobis committere placuerit, nos mandatum Apostolicum debita cum reverentia, & grato animo suscipimus, idque honori ducentes &c.

## §. V.

*De Appellationibus ad Papam.*

**P**ostquam Fleurius Abbas tot prærogativas Sedi Apostolicæ annexas evertere conatus erat, tandem magis præcipuum destruere aggrediebatur, eoquod eidem Romanæ Ecclesiæ Primatus inniti videatur: porro hæc est jus, vicujus Papa circa omnes lites, quæ inter fideles oriuntur, sententiam pronuntiare, propositas difficultates excipere, ad eas respondere, censuras per Episcopos latas corrigere, ac denique fideles eo adigere valet, ut ipsi, quin ad alium quemcunque judicem appellare valeant, omnino Papæ decisionibus insistere teneantur. Hoc jus adeo eminentis Divo Petro tum a Christo Domino suisse collatum videtur, dum eidem gregis sui pascendi curam demandabat, dicens: *Pasce Agnos, Pasce oves, Tibi traditæ sunt &c.* nihilominus Fleurius Abbas eximiam &anc prærogativam Cathedræ Divi Petri annexam

annexam aggreditur: En ipsius verba, quæ in eadem dissertatione continentur: *Nul-  
lum majus, inquit ille, disciplinæ ecclesia-  
sticæ vulnus falsæ Decretales intulerunt, quam  
quod licentiam ad Papam appellandi in immensum  
extenderint. Hæc res Falsario potissimum cordū  
fuisse videtur.*

Ast Cyprianus SS. Fabiano, & Cornelio coœvus non solum hisce appellationibus adver-  
sabatur, sed etiam solida attulit argumenta,  
quibus eas non esse recipiendas probavit, &  
ætate S. Augustini Ecclesia Africæ appellatio-  
nibus necdum acquiescebat, quod ex epistola  
Concilii, anno quadringentesimo vigesimo sexto  
celebrati, ad Cœlestinum Papam data exploratum  
sit. Tandem appellationis a Concilio Sar-  
dicensi concessæ usque ad sœculum nonum,  
pauca occurrunt exempla, nisi, ut dixi, quod  
summarum Cathedrarum Episcopi, alium præ-  
ter Papam superiorem non habentes, appella-  
verint. Ubi vero falsæ Decretales in lucem e-  
merserunt, ad sacram Sedem appellandi audacia  
in tota Ecclesia latina supra omnem modum  
crevit.

Porro nefas est credere, Jesu Christi prin-  
cipia, quibus Ecclesiam suam superstruxit, mi-  
nus perfecta esse, quam Paganorum Philo-  
sophorum regulas, quare gregis sui fidis Pastori-  
bus in hac vita nullum præmium, sed tantum  
pro mensura charitatis mercedem æternam pro-  
misit, fateamur igitur sincere, Pontifices in  
primis quinque, vel sex sœculis sapienter egisse,  
cum

cum Ecclesiae universalis bonum proprio vel personæ commodo, vel Sedis suæ gloriae anteposuerunt. fateamur, bonum Ecclesiae expetiisse, ut caussa ecclesiastica in sua quæque provincia, & ab iis judicibus definiretur, qui id facilius, & majore caussæ cognitione possint. fateamur, necessario cavendum fuisse, ne Episcopi, & in primis Episcoporum Princeps, quantum fieri posset, ab officiis suis spiritualibus, natura Sacerdotii intime connexis, unquam abstrahentur, sed quilibet eorum ab illa Ecclesia, in qua eum Deus posuisset, non discederet, populum suum indefesso labore docens, & sanctificans.

Quis bona tam certa, tam solida conserre audeat cum invisa potestate, qua Pontifex toti terrarum orbi terribilis reddebat, cum undique Episcopos, Clericosque vel censorum metu, vel gratiæ spe ad suscipiendum longum iter, judiciumque Romæ subeundum compellere? Non me fugit, ingentem illam Episcoporum, aliorumque exterorum hominum turbam magnas divitias in Civitatem Romanam invixisse, factumque, ut Romanorum opes ceterorum gentium damno cumularentur: sed pudet me talis lucri mentionem facere, ubi de caussa Religionis agitur. Quasi vero non tam ideo Pontifices Romæ sedissent, ut sanctam, quam ut opulentam efficerent. Multo magis Patris communis nomen meritus est S. Gregorius, cum immensos Ecclesiae Romanæ census in eleemosynas, quas in omnes provincias spargebat largissime, convertit. At illi Pontifices, qui urbem locu-

locupletabant, sanctitatem civibus non afferebant, quin pietatem a se reduci posse desperare videbantur, si horrendam orationem, qua S. Bernardus Romanorum mores sua ætate nobis depinxit, spememus. Primum omnium tamen Papæ, tanquam Romanorum Episcopi officium erat, ad eos convertendos vires omnes intendere, ad quod magis, quam ad dirimendas tot exterorum caussas obligabatur.

Supponimus equidem, quod noster Historicus, cum hoc in loco illos fideles populos, qui catervatim Romanum Oraculum consulturi accurrebant, extraneos vocat, nullatenus intenderit, quod hi exteriori corpus efficiant distinctum ab illo grege, cuius curam Christus Dominus Divo Petro commisit: quinimo haud difficulter mibi interim persuadeo, quod hic Author, quantumvis ceteroquin valde temerarius, impræsentiarum Pontificis Primatum, qui ex jure Divino descendit, aggredi non præsumperit, nec etiam illius auctoritatem intra arctos Romanæ Diæceseos limites restringere voluerit, quamvis dicat, quod ibidem sit Papæ grex, quem ipse instruere, & sanctificare adstringeretur, ipse vero illum negligeret, eoquod unice intentus esset, ut hunc populum opulentiorem reddat, cum sese totum curis de lucro captando, aut forum capitale exercendo, nec non exterorum, qui proprium Judicem declinant, litibus dijudicandis impendat.

*Hist. Eccl. Tom. L. I.*

U u Hæc

Hæc sunt præclara specimina illorum negotiorum, quibus noſter Author ſummos Pontifices occupari, hoc in loco afferit.

O quam felicia erant veteris disciplinæ tempora, in quibus Pontifices a laborioſa gregem ſuum cognoscendi, paſcendique cura liberi, pariter in gregis ſui oblitione erant: maledictæ autem Decretales fuerunt, quæ ad turbandam eorum quietem, atque ad periculoflimum vulnus ecclesiſtice disciplinæ infligendum invectæ fuit! Hæc ſunt illa ſpiritia, quibus Fleurius in amaritudine cordis ſui aurea Eccleſia temporā exoptat: num ergo aurea illa ætas tum vigebat, dum Pontifex ad Romanæ ſuæ Diæceſeos limites restrictus Eccleſia curam omnino negligebat, atque ad fideliſ adeo non attendebat, ut nec illos instrueret, nec ab eis ipfe consultaretur? Attamen tempore sancti Damasi Papæ, qui in ſæculo quarto florebat, certe ea agendi ratio non vigebat; quippe adhuc sancti Hieronymi, qui Damaso ab epiftolis erat, epiftola exſtat, qua hic sanctus queritur, quod ob innumeram multitudinem reſponſionum, quas tot Epiftolis, totque Synodiſ ſacram Sedem consultantibus dare cogebatur, immensa negotiorum mole opprimeretur; nec ſane ea erat conſuetudo in ſæculo ſequenti, ubi Innocentius I. & Leo I. dubia ſibi ab Epiftolis proposita extricare, ac circa appellationes, quas Epiftoli

Episcopi a Conciliis Provincialibus damnati ad sacram Sedem interponebant, sententiam suam pronuntiare cogebantur.

Ne vero Franciæ fines egrediamur, reseremus antiqua hæc nostræ Historiæ ecclesiasticæ monumenta, atque ibidem resperiemus Conciliorum Provincialium sententias aut emendatas, aut veluti irritas esse declaratas, necnon Episcopos, aut exauktoratos, vel sedibus suis redditos: nonne ibidem etiam leguntur epistolæ Pontificum, qui nostros Episcopos imbuebant, illustrabant, eorumque dubiis satisfiebant, sique cuidam Episcopo, qui eorum consilium expetebat, responsum dederant, hic idem Præful pariter epistolam a se receptam aliis Episcopis communicare jubebatur, ut eadem esset ceteris norma, sententia, atque uniformis agendi ratio: erit, inquiebat Innocentius I. ad Vetricium Rothomagensem Episcopum, erit dilectionis tue per plebes finitimas, & consacerdotes nostros, qui in illis regionibus propriis Ecclesiis præsident, regularum hunc librum, quasi didascalium, atque monitorem sedulo insinuare.

Præterea sanctus Leo Papa epist. 91. ad Theodorum Foro-Julensem Episcopum ita scribebat: hæc autem, frater, quæ ad interrogationem tue dilectionis ideo respondi, ut in Metropolitani tui notitiam facias venire, ut si qui sint fratrum, qui de his ante-

Uu 2 tea

*tea putaverint ambigendum, per ipsum de omnibus, quæ ad te scripta sunt, instruantur.*

Idem quoque summus Pontifex ad Vienensis Provinciae Episcopos hæc effatus est: *nobiscum itaque recognoscit fraternitas vestra Apostolicam Sedem pro sui reverentia a vestræ etiam Provinciae Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & diversarum, quemadmodum ritus consuetudo poserat, appellationum caffarum aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.*

Transeamus nunc in Hispaniam, & compierimus, quod in eodem saeculo Pontifices monita, & responsa dederint ad difficultates sibi ab Episcopis propositas: prudenter, inquiebat Siricius Papa ad Hieronimum Taracensem Episcopum, ad Romanam Ecclesiam, utpote ad Caput tui Corporis retulisti: Verum qua de re tum agebatur? scilicet circa quasdam difficultates, quæ duntaxat aliqua disciplinæ ecclesiasticæ capita concernebant, instrui petebat Hierius: ut vero hæc veritas magis adhuc dilucidetur, seu magis demonstratum sit, quod Ecclesiæ universalis disciplina semper in eodem antea, ac hodie dum viguerit usum, atque in Ecclesia nihil inconsulto Papa, quin eidem desuper ratio reddita fuerit, gestum sit, hunc in finem adhuc allegare oportet epistolam, quam sanctus Cyrilus Alexandrinus Patriarcha Concilii Ephesini Praeses ad Cælestimum Papam prescrip- rat,

rat, ubi hæc habet: *LONGA Ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res suæ Sanctitati communicentur.* Exstat hæc epistola in prima parte articulorum hujus Synodi c. 14.

Ausim insuper hanc in rem argumenti loco adducere testimonium cujusdam Cæfaris, qui certe in submissione Pontifici debita excessisse, a nemine accusari poterit: Hic idem est Justinianus Imperator, cuius verba *l. 7. cap. de summa Trinitate*, hæc sunt: *Nec enim patimur, ut quidquam eorum, quæ ad ecclesiasticum statum pertinent, non etiam ad Sanctissimum Papam veteris Romæ referatur, cum sit caput omnium Sanctissimorum Sacerdotum.*

Allatis omnibus hisce argumentis adeo legitimis, ac minime controversis, quis poterit absque indignatione audire verba cujusdam Sacerdotis Catholici cum tanta ignorantia, ac temeritate adversus Sedem Apostolicam declamantis? quis absque horrore cernere poterit, quod ipse omnibus suis prærogativis etiam ab omni retro antiquitate attributis hanc Sedem expositiare audeat? Proh! quam horrendam effigiem præclaris, ac excellentissimis idæis, quas a principio de potestate Pontificia concepimus, subrogat Fleurius? quid enim, si Fleurio fides est adhibenda, quid est Papa? nil aliud nisi simplex Episcopus, qui ad summum duntaxat habet jura Metropolitæ annexa, cetero avarus,

Uu 3 ambi-

ambitiosus, voluptatibus vitæ deditus, nonnisi eo intentus, ut omnia quærat media, quorum ope omnium fidelium bona invadere posset insuper hic idem est vir, qui quorumdam falsariorum studio, nec aliorum mercede conductorum, qui falsos titulos fabricarunt, opera in Ecclesia tyannicam auctoritatem stabilivit.

### §. VI.

#### *De submissione erga S. Canones.*

Fleurius Abbas summum Pontificem omnibus omnino prærogativis sacræ Sedis annexis una ex parte penitus spoliare intendit, altera vero ex parte Ecclesie Gallæna Ecclesiæ Universali unita ad Papam confugit, ut in quibusdam occasionibus Canonum rigor relaxetur, ex adverso autem rursus noster Auëtor ipsum summum Pontificem æque, ac ceteros omnes fidèles, iisdem hisce Canonibus subiectis: *Decretum Gratiani*, inquit ille, auctoritatem falsarum *Decretalium*, quæ omnem paginam implent, confirmavit, propagavitque. Quandoquidem per spatiū plus, quam trium Sæculorum, non alii Canones, quam in illa collectione contenti, noti erant, nec alios vel Schole, vel judices sequebantur, quin etiam Gratianus, ut Papæ privilegia extenderet, plus quam falsa *Decretales* ei tribuit, affirmans, ipsum Constitutionibus Canonicis non esse subiectum, quod de

de suo cerebro expromit, nullo arguento ex  
auctoritate antiquorum adjecto.

Nec unicus quidem Author Catholicus usque ad schismatis tempora reperiebatur, qui immotæ, ac nunquam interruptæ traditioni insistens afferere ausus fuisset, quod Conciliorum Canones in universali Ecclesia vim legis obtinerent, antequam ab ipsis summis Pontificibus approbati fuissent: noster autem Author id propugnare præsumpsit, novisque hanc in rem documentis recens detectis afferuit, quod Pontificum decreta omnem suam vim primum a Conciliorum approbatione emendicent: „omnia, inquit „ipse tomo decimo sexto, hujus Lateranensis Concilii decreta Innocentii III. nomine condita sunt, in aliquibus tamen „additur hæc clausula: *probante sacro sancta Synodo*, qua declaratur, quod decreta „absque consensu, & approbatione Synodi „universalem Ecclesiam repræsentantis ple- „nam suam auctoritatem non haberent.

Proh! quam tyrannicum imperium exercet passionis vehementia in animum ad id pertinaciter intentum, ut sibi novam sternet viam, cuncta ejusmodi virum offendunt, etiam in via vel maxime ordinaria, quam homines summe venerandi hucusque calcarunt: omnia ipsum ad iram concitant, atque ipsem omnia veneno inficit, cuncta condemnat, ac juxta Fleuri Abbatis loquela, Pontifices non nisi

Un 4 abjectissi-

abjectissimis, turpissimisque affectionibus reguntur, eo etiam tempore, quo gratias, quarum depositum eorum dispensationi concreditum est, effundunt, prout in sequentibus videbimus articulis.

### §. VII.

#### *De Excommunicationibus.*

**S**i forte summi Pontifices vel ad peccatores terrendos, vel puniendos sacræ sue potestatis a Christo Domino receptæ vim exerere coacti sint, aut si fors, ut majorē anathematis horrorem incuterent, amōsque errantes acerbius percellerent, media ad commovendum idonea adhibuerint, mox in ejusmodi Pontifices Historicus noster calamum suum exacuit, illosque ipsius subsannationi argumentum suppeditare compulit, quippe juxta nostrum Authorem excommunicatio, quæ Romæ in feria quinta Hebdomadæ sanctæ pronuntiatur, nil nisi Iudicra scœna est, *Videor mili,* inquit Fleurius diss. 3. ad tom. 9. *conspicere virum senem viribus destitutum, qui, cum se a filii suis sperni cernat, & de lectulo surgere ad eos castigandos, ut ante solebat, non valent, quidquid sub manu est, in insolentes conjicit, ut impotenti iræ satisfaciat, simulque voce, qua potest, concitatissima diras omnes, quotquod memoriam subeunt, imprecatur.*

Porro si forte summi Pontifices rebels, ac disciplinæ impatientes Filios ab Eccle-

Ecclesiæ sinu avellunt, quantocius ambitio-  
nis, superbiæ, ac pertinaciæ impetu ab-  
repti dicuntur: dum vero eos recipiunt tan-  
quam filios prodigos, qui veræ poeniten-  
tiæ sensu tacti rursus ad Ecclesiæ sinum  
revertuntur, atque Ecclesiæ reconciliantur,  
tunc Pontifices tanquam avari, atque im-  
pii traducuntur, qui omnia suæ amplas di-  
vitias corradendi libidini postponunt, ac  
nullatenus ad Dei honorem, nec ad pec-  
catorum publicorum, contritorum, ac poe-  
nitentium salutem respiciunt. *Pœnitentiæ  
publicæ ritus*, effatur Fleurius Dissert. 4. ad  
tomum 16. in *supplicia*, & pœnas temporales  
mutabantur. . . . Ut autem acerbior esset  
pœnitentia, mulctæ pecuniariæ adjiciebantur,  
quæ priusquam concederetur absolutio, exige-  
bantur, has vero, ubi pœnitentes præfliterant,  
de reliquis facile indulgentiam impetrabant.

Nec vacabat diuturna probatione experiri,  
an corde contrito esset pœnitens, quem in finem  
pœnitentia Canonica a veteribus fuit instituta;  
sed prima cura erat, ad præstandam cautionem  
de restitutione bonorum usurpatorum, de dam-  
nis resarcendis, & persolvenda mulcta eum  
adigere.

Equidem nostro Authori onus incum-  
bebat, ut ejusmodi convitia summis Pon-  
tificibus tantopere injuriosa, atque in hisce  
præliminaribus dissertationibus sparsim pro-  
lata quodam argumento comprobaret, qua-  
propter ut declararet, quod in excom-

Uu 5 muni-

municatorum absolutione conversio cordis  
 inter postremas Pontificum curas fuerit,  
 atque excommunicati facile cuncta impe-  
 trare potuerint, dummodo aurum effun-  
 derent, aut publicam aliquam satisfactio-  
 nem præstarent, Fleurius Clementis VI.  
 Bullam mense Septembri anni Salutis no-  
 stræ millesimi trecentesimi trigesimi quarti,  
 necnon Constitutionem Innocentii VI. die  
 postrema Novembris Anno Domini mille-  
 simo trecentesimo sexagesimo secundo stu-  
 diose allegat lib. XCV. §. II. Albertus Sca-  
 liger, & Mastinus ejus frater Veronenses  
 „Principes ob cædem Veronensi Episcopo  
 „ab eis suo patrueli illatam condemnati fue-  
 „re, & quidem a Clemente VI. Papa ex-  
 „communicatis hæc injungebatur poen-  
 „tentia: octavo post absolutionem die sola  
 „induti subucula, & aperto capite pedi-  
 „bus procedunto a porta Veronæ usque  
 „ad templum Cathedrale, tenentes manu  
 „suam quisque accensam facem ceream  
 „sex librarum, centumque similes sibi præ-  
 „ferri curanto: ad templum delati die Do-  
 „minica sacri solemnis hora offerunto tæ-  
 „das, & a Canonicis veniam sceleris sui  
 „petunto. intra sex menses proximos ei-  
 „dem templo donanto argenteam SS. Vir-  
 „ginis effigiem triginta felibrarum, decem  
 „lucernas argenteas, quarum singulæ tres  
 „felibras pendant, redditusque necessarios  
 „ad oleum suggerendum perpetuo. intra  
 „spa-

„spatium anni eodem in templo constituunto  
„sex beneficia, & unumquodque viginti  
„florenorum aureorum proventu annuo in-  
„struunto. Anniversario Præsulis occisi die  
„uterque pœnitentium viginti quatuor pau-  
„peribus victimum, ac vestem præbeto, om-  
„nemque per vitam suam singulis diebus  
„veneris jejunium colito.

Postquam igitur noster Historicus seve-  
ram hanc pœnitentiam duobus hisce Prin-  
cipibus impositam, quam in sua Metropoli  
in conspectu omnium suorum subditorum  
implere jubebantur, retulerat, hæc subjun-  
git: *Ego ibi propemodum nihil video, quod  
homines opulenti non possent exequi sine animi  
correctione, porro hæc juxta nostri Authoris  
semper Pontificibus infensi loquela idem  
sonant, acsi Papæ parum solliciti essent de  
sincera mentis correctione, dum peccato-  
res excommunicatos Ecclesiæ reconcilia-  
bant. Verum nil potentius, ut de sincera  
cordis immutatione certi essent, facere po-  
tuissent, ac cum hisce pœnitentibus mul-  
ctam adeo propudosam, pia legata, ac  
fundationes adeo amplas injungerent, eos-  
que adstringerent, ut perpetuo monumento  
pœnitentiam adeo demissam, qualis erat  
ipsis pro tam atroci criminie imposta, ad  
posteros transmittenterent?*

### §. VIII

## §. VIII.

*De absolutione post Confessionem, de Jubilao, & sacris expeditionibus.*

**T**emerarius noster Author non contentus, ut canonicam excommunicatorum absolutionem damnet, insuper absque omni pietate sacramentalem etiam, quæ hodie dum ante poenitentiam adimpletam conceditur, absolutionem reprobat in dissert. 4. ad tom. 16. *Eodem tempore* (scilicet, quando falsæ Decretales invaluere) consuetudo introducta est, etiam in Pœnitentia secreta, auditâ confessione, tum satisfactione iunctâ, & acceptata, extemplo absolvendi; cum contra in antiqua disciplina peccatores non nisi post totam, vel certe magnam pœnitentiae partem expletam absolverentur. Quæ mutatio argumentationibus Doctorum Scholasticorum nitebatur, absolutionem externam illi non esse denegandam, quem virtute contritionis, si ea cor ipsius penetratum videatur, internam a Deo jam accepisse credere debeamus, tumque si existeret in gratia. opera satisfactionis majore merito esse peracturum. Sed considerandum fuisse, hominem mentem spe obtinendi, quod non habet, multo acrius, quam postquam illud adeptus est, grati animi honestate, aut amore fidelitatis, in iis, quæ promisit, servandis simulari. Ægrotantii major cura est, modum in cibo & potu a Medico sibi prescriptum ad recuperandam sanitatem tenendi, quam ad eam conservandam, postquam

postquam convaluit. Quis Creditor debitori suo, etiam juranti, se acceptam pecuniam intra certum temporis spatium persoluturum, antequam eam receperit, protinus Chirographum reddat.

Si autem Author noster sermonem injicit de Jubilæi indulgentiis, de iis loquitur veluti de sacrilego artificio, quo summi Pontifices ad lucrandas immensas pecuniarum summas utuntur: enimvero ne ipse quidem Lutherus violentissimus, ac omnium maxime acerbus declamator, qui contra Indulgentias debacchabatur, modo magis virulento circa hoc argumentum se explicabat, uti fecerat ille Sacerdos Catholicus, cuius calumnias hanc in rem in præsentiarum refero: non equidem Ecclesiæ indulgentias impertiendi jus abnegat, usum tamen, quem Papa de iis facit, nec non ipsius agendi rationem hac in re damnat. Ecclesia, inquit ipse, indulgentias concedendi potestate gaudet, verum Canonice pænitentiae magis salutares erant . . . . . mores & disciplina Ecclesiæ Romance erant antea puriores . . . . dein libro XCV. §. LI. ita prosequitur: Ad initium anni sacri peregrinantium numerus haud iniri posse videbatur, at Romani decies, undecies, duodecies centena circiter illorum millia natalibus Christi feriis, ac per tempus verni jejunii ad Pascha usque continenter fuisse Romæ censebant, & anniversariis Ascensus Domini, ac Pentecostes diebus plus octin-

octingenta millia, sed postquam venerat astau, ob frugum, & fructuum perceptionem, caloremque nimium multitudo peregrinantur decrescere cœpit, attamen minimum ducenta exterrorum millia numerabantur. Romæ via semper tam plenæ erant, ut turbam deberent sequi pedites, equitesque. Peregrini tribus templis singulis, quæ obibant, quotidie dabant munera, hic minus, ille majus pro pietate sua.

Omnis Romani agebant caupones, domosque suas commodabant advectis per equos peregrinis, qui diversorum pro se, ac jumentis suis compensare mercede maxima jubebantur. Præterea quia peregrini prospicere de virtu sibi debebant, Romani, cum alimenta ubertim, & parvo pretio acquirere possent, per malignitatem suam toto anno panem, carnes, ac vinum care admodum venundabant, & negotiatores ea deferre foris vetabant, ut sua pluris venderent. Sub finem anni sicut in principio peregrinantur multitudo erat major: & tunc veniebant nobiles, ac illustres Italiae, aliarumque regionum viri, ac sceminae, ultimis diebus condonatum est cunctis Romæ versantibus, quod de tempore obeundarum stationum eis deerat: quæ illis gratia fiebat ideo, ut omnes indulgentiam consequi possent. Inter hujus anni cursum Cardinalis Annibal Cecanus Tusculanus Episcopus Romam ut Legatus venit, tranquillitatí publicæ, ac peregrinorum commodis provisurus. At Romani haud æquis ferebant animis, quod is stationes obeundi

obeundi tempus contraheret, ac peregrini Romæ brevius commorantes sumptum minorem facerent. haud semel, cum in ædibus esset suis, huc sagittas illi mittebant, insultabant ejus domesticis, ac per urbem euntes invadebant. Indignatus Annibal Roma abiit in Campaniam, sed in itinere obiit veneno petitus cum suorum pluribus. Inter Principes alios Castellœ, Arragonœ, Lusitanœ, ac Cypri Reges, & Austriæ Dux exponebant Papæ, se non posse adire Romam indulgentiæ obtainendæ caussa: sed alio eam modo nancisci cupiebant. Papa distulit responsum, solumque Duci Austriæ Alberto dici curavit, se cum Cardinalibus hac super re deliberaturum. Deinde Regi Cyprio Hugoni ita scripsit: Cardinales Fratres nostri hanc indulgentiam non tantum saluti animarum, verum etiam honori Cœlitum destinatam esse considerantes neutiquam consenserunt, ut cuiquam concederetur, præterquam iis, qui obirent eorum templa. Dabat 14 Aug. Postea Joanni Archiepiscopo Brundusino suo in Sicilia Internuncio permisit, ut indulgentiam anni sacri largiretur triginta hominibus ea lege, ut, revera si statuissent Romam petere, ac per impedimenta legitima detenti essent, pecuniae summam, qua sumptus itineris aestimarentur, solverent propagandæ fidei, aliisque piis operibus pro Papæ arbitrio impendendam.

Maxima pars illorum donorum, quæ a Peregrinantibus anno Jubilæi seu anno 1390. offere-

offerebantur, venit in manus Papæ Bonifacii, quamvis hæc munera grandem vim auri, & argenti conficerent, in regiones tamen varias missæ ab illo rogatores indulgentiam vendebant illis, qui volebant tantundem solvere, quantum suis-  
set insumendum in Romanum iter. Sic ingens  
conflata est pecunia, sicutque provincia quadam,  
ex qua rogatores plus ducenta florenorum au-  
reorum millia congererunt, perhibebant enim se  
posse condonare peccata omnia sine alia expia-  
tione, ac tollere quamlibet inhabilitatem ad sa-  
cra ministeria.

Ad hæc non sine maximo animi dolo-  
re huc referre cogor quasdam blasphemias,  
quas Fleurius Abbas contra eximium, ac  
pro summo fidelium, qui in Ecclesia sunt,  
solatio introductum usum evomit, illumque  
nobis veluti spurcissimam juxta, ac foedi-  
simam Comœdiam exhibit; quippe juxta  
ipsius verba Pontifices thesauros Ecclesiæ  
non aperiunt, nisi ut exinde simoniacam  
negotiationem exerceant, fidelium pie-  
tate abutantur, eorumque bona sub arti-  
ficiosis hisce obtentibus diripient.

Præterea, cum summi Pontifices non  
sine mœrore loca sacra Christi Domini San-  
guine aspersa, ac tot miraculis illustrata  
ab infidelibus occupari cernerent, Princi-  
pes Catholicos excitarunt, ut hanc terram  
sanctam recuperare aggrederentur: ut vero  
eos magis unacum suis populis ad tam  
gloriosam non minus, ac difficilem expe-  
ditionem

ditionem animarent, prudenter, ac liberaliter ad hanc, ut vocant, cruciatam precedentibus plenariam impertiebantur indulgentiam, adversus quam tamen Historicus noster cum summa vehementia exurgit, prout ex sequentibus judicare pronum erit.

*Indulgentiae plenariae*, inquit Fleurius in dissertatione quinta ad tomum decimum octavum, *quæ ex eo tempore initium accepere*, magnus ille stimulus erant, ad hoc expeditionis negotium executioni dandum, populosque ad iter suscipiendum commovendos. Ecclesia omni tempore prudenti Episcoporum arbitrio reliquit, pro fervore pœnitentium, aliisque circumstantiis aliquam pœnitentiae Canonicæ partem relaxare. Verum usque ad id tempus auditum non fuerat, peccatorem aliquem unius duntaxat operis intuitu omnibus pœnis temporalibus, quibus iustitiae divinæ obstrictus esse poterat, exoneratum fuisse. *Indulgentiae Cruce signatis stipendi loco erant*, nec video, in primis expeditionibus tributa pro copiarum sustentatione exacta fuisse.

*Peregrinatio versus terram sanctam velut certissima salutis æternæ arrha habebatur.*

„Sagaciores vero Viri nascituras inde sequelas præviderunt, comprobantes, quod „in ejusmodi expeditionibus tam in temporalibus, quam rebus sacris majus sit datum, quam lucrum, adeo, ut cruce signati duntaxat locum, non autem vivendi rationem immutarent: *inter omnes autem*

*Hist. Eccles. Tom. LI.*

X X      cru-

*cruciatarum sequelas gravissima intuitu religio-  
nis* fuit pænitentiarum Canonicarum cessatio.

*Nam per indulgentias intuitu expeditionum  
sacrarum concessas lethalem quasi idem acce-  
perunt.*

Quippe hi cruce signati erant peccatores, ut  
ita dicam, omnino crudi, qui absque cordis  
conversione, ac nulla antecedente præparatione  
ibant pro peccatorum suorum expiatione peri-  
culosissimis occasionibus de novo peccandi sese  
exposituri: homines e probatissimæ virtutis se-  
ñatoribus electi in hisce itineribus nonni si agre-  
a peccatis absoluissent.

Præterea ex hisce cruciatis successu tot  
doctorum decisiones emersere, non ab Evan-  
gelii puritate solum, sed a recta etiam rati-  
one alienæ.

Non lego, quod tum in quæstionem voca-  
tum fuerit, an hoc bellum sit iustum, & ni-  
hilominus tamen sola religionum diversitas  
non est sufficiens belli causa... nullus du-  
bito, quin Gregorius, & Urbanus eo quo-  
que respxerint, ut Italiam imposterum ab in-  
cursibus Saracenorum sartam, tectamque red-  
derent, ac eorum in Hispania potentiam de-  
bilitarent, quæ ibidem re ipsa a temporibus ini-  
choatarum cruciatarum indies immunita fuit.

Expedito Cruciata vires, quas in pro-  
priam perniciem, ac sui ipsorum destructionem  
Christiani acuebant, contra infideles detorsit,  
sicque debilitatis per ingentes expensas Nobis-  
libus

libus viris tandem Principes rerum potiti sunt,  
suamque auctoritatem paulatim redintegrarunt.

Minime dubito, quin per negotiationes descendendi cupiditas ad prosequendas hasce expeditiones plurimum contulerit, privati etiam quæstus ratio erat etiam valde pinquis ob cruciatorum privilegia; quippe fateri debemus expeditionem sacram pro prætextu serviisse debitoribus obæratis, ut a solutione debitorum se eximerent.

Donec enim hi ab hac expeditione reversi fuissent, creditores nihil ab eis utpote hominibus sacratis repetere poterant.

Cuncta hæc verba ex Fleurii Dissertatione ad tomum sextum defumpta sunt: igitur sanctus Ludovicus, totque Christiani Heroes merito, ut iis condoleamus, digni sunt, eoquod a Pontificibus quæstus proprii studiosis sese induci passi sunt ad bellum injustum, quod tamen nomine belli sacri honorabatur, nullumque aliud motivum habebat, quam existimatas indulgentias plenarias, in quibus tamen sagaciiores Viri probe perspiciebant, quod tam in rebus sacris, quam profanis plus damni, quam lucri emergat.

### §. IX.

#### *De Miraculis, & Reliquiis.*

Ab indulgentiarum pleniarum contemptu Fleurius Abbas pari cum furore transitum facit ad id, quod fidelium cultus

Xx 2

respicit,

respicit, & ad nutriendam eorum fidem, ac pietatem adeo utiliter conductit, reliquias intelligo, & miracula, quæ tamen ortum suum ab ignorantia, progressum ab impia, & sacrilega ecclesiasticorum avaritia traxisse asserit Fleurius, juxta quem sancti, quos Deus singulari quadam gratia honorabat, qualis erat sancta Catharina Senensis ob suas extasies adeo deprædicata nil nisi phantasias suis delusa Virgo audit, cuius imaginandi vis jejuniis, atque vigiliis eo magis accendebat, quo minus quodvis aliud exterius negotium ipsius mentem aliorum distentam tenebat.

Enimvero Author noster augustinissimi, atque adorandi Missæ Sacrificii veritatem abolere non intendit, quod tamen toties illud in Ecclesia offeratur, iniquo fertanimo, contendens, quod tunc, si id parcus fieret, in majorem cederet fidelium reverentiam.

Attamen hujus Historici mentem circa reliquias, ac miracula percipiamus; præcipue enim hac de re in sua dissertacione tomo decimo tertio præfixa differit; postquam enim ibidem affirmaverat, Deum permisisse, quod *Sæculo X. Ecclesia Romana sub quorumdam Pontificum sacram Sedem, qua vel ob natalium infamiam, vel morum pravitatem indigni erant, profanantium regimine ingemisceret, subjunxit, per quinque ferme saecula, seu ab anno Domini sex-*

*centen-*

centesimo usque ad annum millesimum centesimum, ubi desiderabantur acta Martyris, in ipsius festo legenda, concinnabantur vel verisimilia, vel ut ad vulgi genium accommodarentur, prodigiis plena: id enim ad nutriendam fidelium pietatem plurimum conferre credebatur: hujusmodi lectio[n]es maxime in Sæculo nono, quo Translationes Reliquiarum frequentissimæ erant, confitæ sunt: falsa quoque monumenta aliqui creabant, sive in supplementum veterum, quæ erant deperdita, sive omnino commentitia.

Pari modo differit de miraculis, hinc quæcunque supernaturali virtute facta affirmantur, omnis vir prudens, & religionis amans caute, & sobrie discutit: his permotus paucissima de ingenti numero miraculorum retuli, quæ scriptores in his obscuris sæculis literis mandarunt; quippe non tam vera, quam prodigiosa voluisse scribere mihi videbantur, quin etiam vadem me dare nolle, nullum eorum lucelli amore impulsu[m] scripsisse, sive ut patratorum miraculorum fama, & sanitatis recuperandæ spes largas a fidelibus oblationes eliceret, sive ut bona ecclesiatarum rapientibus divinæ vindictæ metus incuteretur.

Perspicere me existimo, quæ præcipua causa extiterit, cur permulti viri pii quidem, sed parum providi, tam solicite miracula qualia cunque in populos sparserint, nempe saltem metu pœnarum temporalium illos in officio contineri posse putabant, qui æternarum horrore non mo-

vebantur; sed non attendebant, ita introduci periculosem errorem falso principio innixum, quod Deus improbos ordinarie in hac vita affiget.

*Jam ad effectus ignorantiae, & nimis crudelitatis redeo, his merito accensanda est illa facilis, qua Reliquiae recipiuntur; nam non minus quam miracula caute ad examen vocandas sunt.*

*Ut enim liquido constare posset, an genuinae essent reliquiae, certam esse oportuisset eorum originem, & cognosci, in quorum manus ab initio usque ad postrema tempora devenissent.*

*Sordida deinde cupiditas oblationes, & peregrinationes, quibus opulentia in civitates invehiebatur, quibusdam ecclesiis parandi, multo laxius clericorum avaritiae satiandae modum aperuit, eo tempore, quo Episcopi minus docti, minusque solliciti creabantur. At si Fleurii regulas sequi oporteret, valde dubito, an vel illas veras reliquias habere possemus; quis enim omnium manus, per quas illae transierant, dignoscere valeret, aut quis unquam exacte usque ad illarum originem ascendere posset?*

### §. X.

#### *De Jurisdictione Episcoporum.*

**H**aud mirum videri debet, quod Author passionum violentia abreptus, atque furore in summos Pontifices accensus, qui eorum jura passim ab omnibus recognita,

ac

ac sacræ Sedi inseparabiliter annexa everttere sibi firmum, fixumque habet, etiam studiose, & abs que omni moderatione pallam jurisdictionem quoque ecclesiasticam aggredi, ecclesiæ immunitatem evertere, omnes clericos penitus Pontificum jurisdictioni subtrahere, imo ipsum etiam Papam non minus, quam ceteros populos laicæ potestati subjicere moliatur, dum enim Author nostrer mentionem ingerit de Ecclesiæ libertatibus, tunc juxta ipsum hæ duntaxat consistunt in exemptione a peccatis, & cæremoniis legalibus: hac in re, inquit hic auctor tom. 15. pag. 577. de decimis saladinis scribens, æquivocatio illa ætate satis familiaris deprehenditur: „circa hæc verba „*Ecclesia, & libertas*, perinde ac si Ecclesia „a Christo Domino redempta in solo Clero „consisteret, aut si Christus Jesus ab alio, „quam a peccato, & legalibus cæremo- „niis liberasset.“

Ceterum dum idem explicat, in quoniam privilegium Clericale consistat, asserit, in eo solo haberi, quod Clerici residentiæ obnoxii ad Laicorum tribunalia a locis, ubi habitabant, remota evocari non potuerint: *Tum* inquit ipse in dissertatione septima ad tomum decimum nonum, *prohibitum tantum erat, eos in alia provincia conveniendo, a servitio Ecclesiæ suæ abstrahere, juxta regulam generalem, quod auctor sequatur*

*tur forum rei, judex loci, in quo degebant,  
accedendus erat, id quod lege quadam Leonis  
Imperatoris cantum erat, eoque redibat pri-  
vilegium clericale.*

Insuper si Authori nostro fides foretha-  
benda, tunc nihil magis frivolum excogi-  
tari valeret, nisi distinctio inter jurisdictio-  
nem ecclesiasticam, & profanam: nam  
ecclesiastica juxta ipsum, nihil est, nisi  
potestas, quam Principes quidam Episco-  
pis concederunt, atque ad suum arbitrium  
pleno jure revocare possunt: porro hanc  
potestatem juxta eundem auctorem Epi-  
scopi ultra limites præscriptos extendebant,  
atque immode illa abusi sunt, talis autem  
potestas est damnata a Christo Domino,  
qui in pluribus Evangelii locis satis aperte  
declarabat, quod Episcopis haud aliam da-  
ret potestatem, nisi populos doctrinis im-  
buendi, & administrandi Sacra-  
menta: proin ex nostri Authoris sententia Clerici,  
& Episcopi sine ullo discrimine tam circa  
suas personas, quam bona æque, ac lai-  
ci Parlamentis, & Judicibus, qui soli  
sunt regiæ auctoritatis depositarii, subji-  
ciuntur: cum enim Reges Christianissimi  
hanc auctoritatem nunquam Episcopis de-  
dissent, nec ipsi Episcopi eam a Christo  
Domino accepissent, necessario sequitur,  
quod Episcopi hanc potestatem duntaxat  
usurpatrice sibi vendicarint: percipiamus  
ipsa Authoris nostri verba: *inferamus igno-  
rantiæ*

rantiæ, & simplicitati Episcoporum adscri-  
bendum esse, quod Principatum, potestati Pa-  
storali additum, ad stabiliendam religionem  
quidquam conferre crediderint, pro sola Ecclesia  
Romana singulare video argumentum, quo ut-  
ramque consociare potestatem debere probetur.

Experientia tibi veterum sapientiam osten-  
det, atque potestatis sacerdotalis, ac spiritualis  
connexionem, nec Religioni nec Reipublicæ pro-  
fuisse docebit.

Christus Dominus, prosequitur noster  
Author, dissert. septima ad tom. decimum  
nonum, minquam auctoritatem temporalem Ec-  
clesiae concessit, nam jurisdictio Ecclesiae pro-  
pria illa est, quam Salvator noster Apostolis  
tradidit post resurrectionem suam dicens: data  
est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra;  
euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes  
eos: docentes eos servare omnia, quæcumque  
mandavi vobis: vides, quo exercitium hujuscem  
omnipotentiæ, quam a Patre accepit, reducat,  
scilicet ad instructionem, & Sacramentorum ad-  
ministrationem; Doctrina Mysteria, & morum  
regulas complectitur, Sacraenta vero omnia  
baptismo designantur.

Potestas, quam Salvator noster Ecclesiae  
suae concessit, bona spiritualia, gratiam, ani-  
marum sanctificationem, ac vitam æternam  
unice respicit: ipsemet in terris conversatus,  
potestatem aliam non exercuit: in temporalium  
rerum regimine nullam prorsus partem habere  
voluit, adeo quidem, ut & in hæreditate in-

ter duos fratres dividenda arbiter esse recusaverit, dicens: quis me constituit Jūdicem super vos? verum quidem est, eum Regem esse: aī Regnum ejus, prout ipse declaravit, non est de hoc mundo, sed ordinis multo sublimioris, authoritas isthac jurisdictionis ecclesiastice fundamentum est, quæ in conservandis sana doctrina, & bonis moribus consistit. Talis itaque est jurisdictione Ecclesiae propria, sicut eam a Salvatore nostro accepit, quæ absque ullo potestatis sacerdotalis auxilio per seipsum subsistit, ac in suis se limitibus continet, quin aliquid in temporalia attentet: hanc puritatem etiam tribus primis saeculis sub Imperatoribus gentilibus retinuit, & nunquam Ecclesia fortior fuit, & felicior, hoc est omnis generis virtutibus magis conspicua; id quod unicum est bonum a Salvatore nostro eidem appromissum.

Proteccio Principum sub Imperatoribus Christianis invaluit, qui Ecclesiae potestatem coactivam subministrabant, ad ejusdem decisiones executioni mandandas. Hoc præcipue contigit ad conciliandam Episcoporum arbitriis autoritatem, quorum utilitas nentinem latebat. Honoriūs Imperator anno trecentesimo nonagesimo octavo Mediolani declaravit: Si qui ex consensu apud S. Legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur: sed experientur illius in civili duntaxat negotio, more arbitri sponte residentis iudicium. Et alia lege de anno quadringentesimo octavo præcipit: Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri a Sacerdotibus elegerint,

elegerint, eamque illorum iudicationi adhibendam esse reverentiam, quam uestris deferri necesse est potestatibus, a quibus non licet provocare: per judicium quoque officia, ne sit cassa Episcopalis cognitio, definitio executio tribuatur. Id quod argumento est, Episcopos potestatem exequendi non habuisse.

Nemo cogebatur coram Episcopo experiri, nequidem contra Clericos, de quo extat lex anno quadringentesimo quinquagesimo sexto a Mariano Imperatore lata, ubi dicitur, quod is, qui Clericum constantinopolitanum persequitur, nec Archiepiscopi iudicium subire cupit, alibi quam coram Praefecto prætorio contendere nequeat.

„Denique, prosequitur Author noster, „Episcopi a Christianis Imperatoribus haud „amplius obtainere poterant, nisi ut iisdem „negotiorum temporalium inspectionem „concederent: Episcopi quoque vicissim defu- „per Magistratus, aut Cæsares admonere „poterant, hæc autem potestas nonnisi „simplex erat inspectio. „

His itaque adeo arctis limitibus jurisdictio ecclesiastica usque ad saeculum undecimum erat restricta, ac nonnisi, postquam Pontifices haud amplius Legatos suos ablegabant, Episcopi ruptis limitibus jurisdictionem ecclesiasticam extendebant, atque Principis auctoritatem non sine iudicium Laicorum præjudicio, per personarum, & caussarum conditionem, & judi-

cum;

cum, quos Episcopi introducebant, multitudinem penitus everterunt. Episcopi, inquit ipse l. c. p. 13. hoc modo coarctati jurisdictionem suam in judicium sacerdotalium præjudicium triplici præcipue via extendere studabant, scilicet tum ratione personarum, tum intuitu causarum, tum demum judicium multiplicatione: personæ erant Clerici, quorum privilegia, sicut supra vidisti, omnimoda a jurisdictione sacerdotali subtractione jam admodum extensa fuerant, ita quidem, ut Bonifacius VIII. in famosa Decretali **CLERICIS LAICOS** aperte dicat, *Laicos nec in personas, nec in bona ecclesiastica ullam prorsus potestatem habere;* hocce privilegium adhuc extensum fuit auctio in infinitum Clericorum numero. Etenim ex quo sapientissima Concilii Chalcedonensis dispositio de Clericis absque titulis haud ordinandis in contemptum abiit, Episcopi sine delectu, ac numero tot, quot vellent, Clericos ordinabant, quandoque unico amplianda jurisdictionis studio animati: alii nonnisi tonsuram, alii Minoris recipiebant Ordines, & quemadmodum ipsi Matrimonium haud excludunt, sic plurimos ubique Clericos conjugatos invenire erat, qui nullum Ecclesiæ officium exhibentes, commercio, ac opificiis quandoque statum eorum omnino dederentibus vacabant, adeo, ut Concilium Vienense necessarium duxerit, iisdem Lanionum, & Cauponum officia prohibere, & antea jam mimos, & joculatores sequi ipsis interdictum fuerat: tandem etiam privilegium Clericale in domesti-

domesticos, & prout vocantur, familiares Ecclesiasticorum prorogatum est, id quod hodie dum in Hispania vigeat. Nam si exemptionem Clericorum, ac stupendum eorum numerum simul conjungamus, demum admodum pusillus Laicorum grex superfuisset, ac non nisi penes Episcopos stetisset, tot, quot vellent, subditos potestati seculari subtrahere: Nam vero caussarum conditio varios praetextus subministravit, veluti juramentum contractibus ut plurimum appositum, connexio cum materiis spiritualibus, sic Ecclesiastici occasione Sacramenti Matrimonii circa dotem, vidualitum, aliasque Conventiones Matrimoniales, adulterium, statum prolium, num legitimæ sint vel non, cognoscebant. Et quemadmodum presupponebatur, testamenta absque Legatis piis confici non debere, ita plura Concilia statuerunt, testamenta in praesentia Parochi condenda, Episcopoque de eorum execuzione rationem esse reddendam: jam cognitio circa testamenta etiam obsignationes, & inventaria post se traxit. Alium extendendæ in Laicos Jurisdictionis praetextum præbuerunt crimina ecclesiastica, hoc est, illa, quæ directe religionem afficiunt, scilicet hæresis, & schisma, vel etiam illa, quæ legibus civilibus prohibita non erant, veluti usura, & concubinatus; Ecclesiastici enim praetendebant, eorum cognitionem sibi duntaxat competere, salva Laicorum obligatione pro reorum capture, ac sententiarum executione auxilium subministrandi, necnon paenitentia spiritualibus etiam temporales adjungendi.

Et

Et quia juxta nova principia crimen hæreses bonorum, jurium, ac territoriorum privationem, etiam intuitu Principum involvebat, si semper, quorum perditio desiderabatur, ex hoc capite accusabantur, velut Fridericus II. Manfredus, ac tot alii. Neque hic prætextus derant; si enim Princeps aliquis, ex quo excommunicatione percussus, ejusque territorium interdicto subiectum fuerat, censuras contemneret, quod plerumque accidebat, accusabatur, ac si potestatem clavium non crederet, moxque cui hæreticus habebatur.

Præter particulares Jurisdictionis ecclesiasticæ ampliandæ prætextus, inventus fuit aliquis Generalis, scilicet intuitu peccatorum. Ecclesia, ita dicebant, vi potestatis clavium jus habet, de omni eo, quod peccatum est, cognoscendi, ut sciat, an illud remittere debeat, vel retinere, an ligare peccatores, an solvere? jam vero in omni circa rem temporalem lite una saltem pars injustam format prætensionem, quandoque ambæ, Et hæc injustitia peccatum est, ergo ad tribunal ecclesiasticum pertinet. Ex principio hoc Episcopus omnium caffarum suæ dioceseos judex erat: quomodo autem ut de aliis justitiae ministris taceam, tantus judicium ad functiones sat capacium numerus inveniri poterat. Frustra quæsiveris invenire judicem temporalibus lucris haud inhiantem, Et quis judices a proprio quæstu alienos invenire audebit?

Ex quo Laicis dominari, ac divitias augeare voluerunt, optimam eo pervenienti viam eam

eam esse existimarent, si omnes caussas sibi sub-  
jicerent; & quidem ignorantia Laicorum op-  
portunam hic occasionem obtulit. Hęc enim,  
prout alibi retuli, tam crassa erat, ut nequidem  
legere scirent. Principes igitur Secretariorum,  
receptorum, aut Thesaurariorum officia Cleri-  
cis conferebant, qui reddituum statum, & ra-  
tiones ipsis sisterent. Amanuenses, Notarii,  
Advocati, & procuratores Clerici erant, ver-  
bo: omnia, quae in scribendo consistunt, officia,  
Clerici administrabant.

Atque ita Ecclesiastici a spiritu vocationis  
sue pedetentim recesserunt, oblizioni tradentes  
præceptum Apostoli: NEMO MILITANS  
DEO, IMPLICAT SE NEGOTIIS  
SÆCULARIBUS. Non solum se iisdem  
immiscuerunt, sed onerarunt etiam, & im-  
merserunt. Multum aberat, ut hanc aberrationem  
adverterent, ut potius in ea gloriam quæ-  
rerent: majori in hancce immoderatam juris-  
dictionem zelo ferebantur, quam in veræ Ec-  
clesiae jura, dumque aliquis eorum attentatis  
limites ponere contendebat, mox clamabant,  
se in servitutem redigendos fore.

Exabus ibidem condemnatis videre est,  
quousque tricæ tum invaluerint, in impediendis  
præcipue ab amicibili compositione partibus,  
ne litium, ac proinde praxeos materia deficeret;  
cum econtra primis Ecclesiæ sœculis Episcopi  
omnem sollicitudinem eo convertissent, ut fide-  
les a litibus astraherentur. dixisse, Juris-  
dictionem in commercium aliquod abiisse, Reli-  
gionem

gionem sordidissima approbare lucra, ac Salvatorem nostrum ideo in hunc mundum venisse, ut homines nova doceret media lucrandi, & ditescendi.

Ecclesiasticorum in Jurisdictionem sæcularem attentata Judices laicos excitarunt, ut & ipsi ex sua parte vicem redderent, prout a querelis in Conciliis sæculi XIII. & XIV. toutes iteratis eruitur.

Nonnisi superbiam, ambitionem, querelas amaras, exprobrationes mordentes, minas, processus judiciales, excommunicationes, aliasque censuras videre erat, media non extingendo, sed magis inflammando igni nata.

Num vel unquam in urbe exstitit hæresis, quæ aliquem ex suis sectatoribus producere potuit, qui magis violenter in sacram Sedem, omnesque, qui eam occupabant, aut in Episcopos insurrexit, vel Historiæ ecclesiasticæ a Fleurio Abbatे compositæ Panegyrista, atque adorator fuit. Quam opulenta prorsus spolia error reportabit ex tali opere, quod tantum est Echo longe atrocissimarum calumniarum, quas acerbissimi, atque infensissimi hæretici unquam effutire ausi sunt?

Magne Deus! quo in honore quispiam habere poterit Religionis nostræ Sanctitatem, si per tot sæcula illi, qui tamen illius gloria, & honor esse debuissent, nobis tam atris coloribus depinguntur? quid cogitari potest de Religione adeo sancta, qualis nostra

nostra est, si ii, qui eam usque nunc re-  
xerunt, nobis exhibentur, veluti homines  
omni passionum generi omnino dediti, &  
tanquam gloriantes, quod vitiorum man-  
cipia existant? quis fidem attribuet omni-  
bus hisce SS. Martyrum actis, si creden-  
dum sit, quod nonnisi a falsariis fuerint  
conscripta? quis omnes hasce heroicas  
actiones magni habebit? Si nullæ aliæ ge-  
nuinæ sunt reliquiæ, nisi illæ, quarum ori-  
ginem assequor, & quas a manu ad ma-  
num usque ad nostra tempora transmitti  
conspexi, ubi ergo veras inveniam Reli-  
quias? Si omnes Pastores per quatuorde-  
cim, & amplius sæcula nonnisi Mercena-  
rii erant, ac duntaxat sese locupletare, &  
miraculorum jactatione fidelium oblationes  
aucupari intenti fuerant, quid credam e-  
tiam de omnibus ceteris miraculis, quæ  
tamen magis solide comprobata mihi vi-  
debantur? quid censeam de indulgentiis,  
quas duntaxat pro pretio, necnon propter  
villissimas etiam, & maxime communes  
actiones, quales sunt pontium, viarum,  
aut platearum reparations, concedi edo-  
ctus sum?

Quid, inquit noster Auctor dissert. quarta  
ad tom. 16. Quid de Rege diceret, qui per-  
niciofa clementia viam effugiendi supplicium om-  
nibus reis offerret, nempe multas modicas, pen-  
siones leves ad arcem cedificantem, vel ad mili-  
tes alendos, obsequiose Regiam adire, paucis

Hist. Eccles. Tom. L.I.

Xy ver-

verbis precari veniam, & tandem ad eluenda quæcunque scelera aliquot annis in exercitu suo militare? an putas dicendum, hujus Principis regnum bene administrari? an arbitraris, morum innocentiam, fidem in mercatu, securitatem in via publica, totius Reipublicæ tranquillitatem salvam esse posse? an non magis existimas, fore, ut sub tali Rege vitia omnia, & infrunita licentia gravissentur, unde funestissimi effectus, quos solet producere impunitas, sequentur? similitudinem, & paritatem, Lector facile perspicis.

Plane adeo patheticus sermo promebatur sequentem reflexionem: Nunquam Christianos sanctiores, quam illa aetate, qua paenitentiae Canonicæ consuetudo vigebat, nunquam magis corruptos, quam postquam illa exolevit, habuimus.

Quantumcunque rectam mentem habere possem, fidelium tamen pietatem offendum iri pertimescerem, si diutius in suo cursu insequerer ejusmodi Historicum, qui nihil eorum, quæ magis veneranda sunt in Ecclesia, reveretur, cuncta vero vilipendit, omniaque gradu suo dejicit, atque ipsam quoque venerationem, & submissionem, quam fideles Ecclesiæ præceptis debent, condemnat: de cetero, inquit ipse, non me movet „ratio aliquorum recentiorum dicentium, majorem venerationem rebus sacris conciliari, hoc enim „cæcum obsequium non nisi fallis convenit

„Reli-

„Religionibus, quæ fabulis, frivolisque superstitionibus innituntur Dissert. 3. ad tom. 13.

Profecto dicetis, quod noster Historicus in toto suo opere nonnisi novam Ecclesiam destructa illa, in qua per Dei gratiam vivimus, ædificare intenderit; quippe in nova hac Ecclesia personæ, & libri omnium hæreticorum a poenit. & censuris immunes erant. Porro, affirmat ipse in dissertatione quarta ad tom. 16. nulla alia in disciplina mutatio magis Ecclesiæ famæ nocuit, quam rigor contra hæreticos, aliosve excommunicatos adhibitus.

Sicut, ait idem Author dissert. septima, in omnibus, ita etiam hic antiquorum prudentiam suspicor. Extat Gelasii P. Decretum an. 494. in quodam Concilio Romano publicatum, ubi libri, quos Ecclesia Romana recipit, ac respuit, notantur. Ast nullas inventio censuras adversus eos vibratas, qui libros apocryphos, aut condemnatos legerent, id quod mihi persuadet, Ecclesiam eos indicando acquiesce, cum non ignoraret, tantum conscientis timoratis sufficere, ac prohibitione rigorosa libertinorum, & pertinacium curiositatem magis excitari. S. Paulus, dum fideles exhortatur, ut omnia probent, ac quod bonum est, retineant, sanctam discernendi libertatem ius concedere videtur. Primorum pastores sæculorum passim in eo allaborabant unice, ut Christianorum quemlibet pro capacitatem sua rite instruerent, quin prætenderent, cœca eosdem sub-

Y y 2 missa-

missione, quæ ignorantiae effectus, & cauſa est, gubernare.

In materia Religionis Principis potestas eo reſtrīngitur, ut exercitium Religionis reprobatæ impeditat, & exterius ſuæ Religionis ritus in uſum deduci curet. Infideles ad amplectendam fidem non ſunt compellendi . . . quando agitur de conuerſione infidelium, extrema adhibenda diſcretio.

Non hic ſolum agitur de morte contemnda, ſibique concilianda, illorum fratrum Minorum exemplo, qui Marogii, ac Septæ morti ſe tradidere: S. Cyprianus eos ceu Martyres non agnouiffet.

En! qualiter Fleurius Abbas calamo ſuo condennat ignorantiam omnium Pontificum, cunctorumque etiam antiquissimorum Conciliorum, a quibus Hæreticorum errores fuerunt proscripti, eorumque Authors puniti: proin Constantinus, & primi Imperatores Christiani, sanctissimi quoque juxta, ac maximi Reges, Carolus Magnus, S. Ludovicus, S. Robertus Rex, Philippus Augustus, totque alii, quos Ludovicus Magnus ſequebatur, necnon Sigismundus Imperator, totque Hispaniæ Reges duntaxat paſſione ſua, Zeloque indiscreto excæci erant, dum nec ſuis bonis imo, nec vitæ parcebant, ut ſubditos ſuos ad Majorum fuorum Religionem, quam abjecerant, revocarent, aut Viros Apostolicos, qui Regum auctoritate ſuffulti fidei lumen inferebant,

bant, ad populos idololatriæ imersos emittebant.

Apud vos ergo, qui estis Dei vivi Ministri ad judicandum, & defendendum Israel constituti, apud vos inquam, denunciare præsumo hunc librum eo magis periculosem, quo majorem habet auctoritatem ex nomine Scriptoris Presbyteri Catholici, necnon ex titulo tantopere alliciente, quem præfert, atque ex auctoritate, quam eadem conciliant vitæ licentiosiori dediti viri leviter tincti, novitatumque amatores. Hic liber vel maxime aptus est, ut fideles venerationem, ac submissionem abjiciant, quam hucusque vobis, vestrisque decisib[us] exhibebant: hic auctor vos vestro deicit gradu, illamque evertit potestatem, auctoritatemque, quam a Christo Domino accepistis, & cuius tranquillam, ac non interruptam possessionem a primis Ecclesiæ saeculis conservastis. Hic liber est, qui ferme omnia subvertit fundamenta, quibus fidelium pietas erat innixa. Nec miracula, nec Reliquiæ, nec indulgentiæ, imo nihil crimin malignitate plenam, ac mordacissima, & abjectissima Authoris ludi-bria effugiunt: denique hic liber est, quem haud immerito appellare possum *Indiferentiæ, hæresis, & libertatis triumphum.*

